

DE RESIDENTIA

PASTORVM IVRE

DIVINO SCRIPTO

SANCITA,

LIBER VNVS.

FLORENTIAE.

2 400 40

Safra

MADE

DE RESIDENTIA
PASTORVM IVRE

DIVINO SCRIPTO
SANCITA,
LIBER VNVS.

FLORENTIAE.

DE RESIDENTIA PASTO
RVM IVRE DIVINO

SCRIPTO SANCITA,

LIBER VNVS.



VT NON fuerunt electi olim inter septuaginta, sed potius relictī in multitudine, ac numero vulgi Eldad, & Modab, tamen donati sunt munere prophetiæ, aduersus quos cum populus murmuraret, sanctus Moyses, vt murmurationē reprimeret, ac contineret. Quis(inquit) tribuat, vt omnis populus prophetet? Sic ego neq. fui inter Tridentinos magistros cum anonnullis eorum de Residentia Episcoporum, quo iure sancita esset, libris etiam de eo in publicum editis, ageretur, neq. si interfuissem, is eram, qui rogari possem, aut deberem sententiam, Quis tamen prohibeat, tum cæteris aliis, tum mihi, quicūque sim, & vbicunq; agam, ne dicam sententiam præsertim ex literis sanctis per gratiam prophetiæ depromptam? Nemo itaque æmulus dicat. Domine mi Moyses, prohibe eos, ne audiat, Quid æmularis pro me? Quis tribuat, vt omnis populus prophetet? & det eis Dominus spiritum suum? Eos vero, contra quos fortasse scribere videbor, vt æquo animo ferant, meminisse velim, quod eosdem audio dicere solitos, cum contra aliquem scribunt, non se aduersus auctores scribere, sed aduersus eorum falsas opiniones. Tanto autem æquius ferre debent, quanto maior est, & plus nocere potest eorum opinio præiudicata, si eam vsurpa-

aa ii

re, eademque ad defendendum errorem abuti aliis contigerit, item quanto plura, & sapius, iidem recte alias scripserunt. Quis enim omnia, & semper bene? cū non male cum eo agatur, qui pauca aliquando non male. Deinde, quis istorum non cogitat euenire sibi posse, quod suis magistris euenerit? aut sic cogitat, cur poeniteat retractare, aut doleat contra dicentes audire? Quam multa sunt, quæ magis nos pudet Augustino tribuere, quam eū puduit de se agnoscere, ac cōfiteri? qui cum esset veritatis defendendæ sitientissimus, neq. ignoraret, quod nō multo post Leo Magnus pontifex sanctiss. dixit, tūc optime veritatem defendi, cum opinio falsa a suis auctoribus dānaretur, librum retractationum, sapientiæ, pietatis, modestiæ, doctrinæ, iudicii, & studii, ac studiorum progressus refertum composuit. Præterea meminisse debent, vt præceptum Domini sit, non esse communicandum, sicut Apostolus ait, operibus infructuosis tenebrarum, ita non esse cōmunicandum erroribus, & falsis doctrinis, magis autē redarguendum. Omnia namque quæ arguuntur, a lumine manifestantur. Vt .n. debemus omnes honestate vitæ aliena vitia, tanquam lumine tenebras coarguere, ac prodere, sic luce veritatis errorū tenebras patefacere, vt, sicut scriptum est, ambulemus omnes in omni bonitate, iustitia, & veritate, neq. ponamus offendiculum fratri, vel scandalum, quale est, quod quidā dicūt, episcopos non fieri a Deo, sed a pontifice, & quod iidē falsa ratione inde concludunt, residentiam pastorum non esse iuris diuini. Quis enim de pusillis istis, qui in Dominum credunt, cū audierit, episcopos non fieri a Deo, nō minore honore habendos esse putabit, quam cum eos, recte credebat a Deo fieri? Aut quis pastor animarum, cum audierit iniqua pastoris absentia, non statim legem Dei violari, sed hominis, nō iam facilius negliget adesse? Citius enim in mentem veniet, si pec-

cauerit vir in virum, placari ei potest Dominus. Si autem in Dominū peccauerit, quis orabit pro eo? Quam illud, qui vos spernit, me spernit, quanto citius, & libentius, quod laxare videtur, quam quod astringit, arripimus, & tenemus. Recitemus ergo primum, quæ isti ad hæc duo defendenda tanto alioqui errore, & scandalo plena falso opponunt pluribus aliis erroribus implicata, vt velut in tabella proposita sit tota suscepti operis ad redarguendum materia. Quemadmodum (inquiunt) episcopus iure diuino residere teneatur, cum nullus à Deo immediate fiat episcopus, sed a pōtifice? Ipsius enim est diuidere dioceses, & particularia ouilia, & imponere curam. A quo autem episcopalis potestas traditur, inde nascitur residendi lex, vt in pontifice, cui soli immediate a Deo episcopalis potestas applicatur, & in quo nuda est electio per homines, non collatio potestatis papalis. Episcopi vero vt ab homine eliguntur, ita ab eo potestatem, & iurisdictionem accipiunt. Solum enim Petro dictum est, Pasce oues meas. Et illud, tibi dabo claues regni cœlorum. Cæteris vero episcopis applicatur, & semper applicata fuit immediate a pontifice, exceptis apostolis, quos CHRISTVS solus, Petrum præueniens episcopos fecit, cum dixit, sicut misit me pater & ego mitto vos. Accipite spiritum sanctum. Et rursus. Quomodo (aiunt) iure diuino sancita est residentia, si neque in scripturis sanctis expressa est, neque ex eis conclusa necessario? Deinde Timotheus Pauli discipulus, idemque episcopus Ephesian non abfuit diu, Romā profectus non semel, & inde Hierusalem Apostoli iussu? Illa enim parabola euangelica boni pastoris nunquam discedentis ab ouibus, sed præeuntis, & eas nominatim vocantis, ad IESVM magnum pastorem, & episcopum animarum nostrarum pertinet, nostris vero tantum est admonitio, sicuti sancti Prophetæ, & Apostoli, pastores

- monent, vt curent gregem, & agnoscant vultum pe-
- coris sui. Quod quidem Salomon dixit non præci-
- piens, sed commemorans. Quale illud etiam est
- vel monitum, vel præceptum, non quidem Dei, sed
- Petri, Pascite, qui in vobis est, gregem. & quod vetat
- Paulus, mulieres in ecclesia prophetare, non velato ca-
- pite. & illud, vnius vxoris virum esse episcopum. Qua-
- le illud item est, non quidem diuinum præceptum, sed
- apostolicum statutum, Nemo militans Deo, implicat
- se negotiis sæcularibus. Et huiusmodi alia. Præterea
- quod dicitur in ordinatione episcopi, Vade, & prædica
- populo tibi commisso, cum non sit vox Dei, sed eccle-
- siæ, an non satis demonstrat, non teneri episcopum iu-
- re diuino residere, sed ecclesiastico? Quæ quidem vox
- ecclesiæ, non sic (inquiunt) anguste accipienda est, vt
- teneatur episcopus huiusmodi iure ecclesiæ per se-
- ipsum prædicare, ita vt non possit id per alios præstare,
- vt apostoli præstare non poterant, qui quidem ipsi præ-
- dicare tenebantur, quia scilicet apostolorum prædica-
- tio pro infidelibus erat ad conuertendas gentes, & fun-
- dandam fidem, Episcopi vero prædicatio pro iam fide-
- libus, vt in fide maneant. Vnde dicitur, Vade ad prædi-
- candum populo Dei, & non dixit gētibus. Iam sanctus
- Valerius Hipponensis episcopus Augustinum substi-
- tuit suo loco, quo nomine commendatus est. Quod
- ipsum pleriq. alii sancti laudabiliter fecerunt, & conci-
- lium generale sub Innocentio pontifice decretum fe-
- cit, quo episcopis iussit, vt idoneis viris committerent
- visitationes, prædicationes, confessiones, & alia, quæ
- cunque pertinent ad salutem animarum. Ad hæc, nõne
- potest pontifex remouere hinc episcopum, & transfer-
- re alio, quod quotidie fieri videmus, aut etiam epi-
- scopatu priuare? At hoc non posset, si coniugium spiri-
- tuale episcopi, & ecclesiæ huius, aut illius a Deo esset
- immediate factum, vt quidem est pontificis, & ecclesiæ

- coniugium. Deinde quæ iuris diuini sunt, certa sunt,
- & non mutabilia, Tale vero non est pascere, quoties fi-
- gillatim consideratur, sicuti neque sanctificare diem
- Dominicum, neque ieiunare quadragesimam, quæ o-
- mnia, & similia iuris (inquiunt) ecclesiastici sunt. Neq.
- enim quia aliquid generatim diuini iuris est, continuo
- erit singulariter, & figillatim. Hæ sunt istorum opposi-
- tiones, quas dicere licet, sicut Apostolus ait, oppositio-
- nes falsi nominis scientiæ, a scientia sanctarum scri-
- pturarum, & earum virtute alienæ, vt paulo post intel-
- ligetur. Quibus ego nunc eodem ordine veritatem
- rursus opponam, vt veritatis nobis reuelatæ, creditæ, ac
- traditæ depositum fideliter custodiamus, non atten-
- dentes fabulis, & opinionibus hominum. Ergo vt pro-
- positum aggrediamur, quia isti libenter concedunt, a
- quo fiant episcopi, ab eo ius residendi proficisci, quod
- libenter ab eis accipimus, doceamus a Deo fieri pro-
- prie, ac principaliter & immediate quod iidem negant.
- Aiunt enim pontificem immediate fieri a Deo, scilicet
- tanquam ab auctore, & Domino, episcopos vero imme-
- diate a pontifice, in illo quidem nudam esse electionem
- per homines sine collatione potestatis papalis, hos ve-
- ro vt eligi ab homine, ita ab eo potestatem, ac iurisdic-
- tionem accipere. Quæ omnia absurda sunt, & secum
- discrepantia. Quid enim monstri est, nuda illa pontifi-
- cis electio per homines sine collatione potestatis papa-
- lis? Etenim si eligitur canonice, ad aliquam potesta-
- tem spiritualem eligatur, necesse est, imo ipsa electio,
- quam pontifex per homines consequitur, quid aliud
- est, nisi gratia, siue charisma summæ potestatis spiritua-
- lis? Cum per Moysen applicati sunt Aaron, & filii eius,
- vt (sicut scriptum est) sacerdotio fungerentur Domi-
- no, an non per eundem potestatem sacerdotalem acce-
- perunt a Domino? Præterea electio siue in pontifice, si-
- ue in episcopis cæteris, quid est, nisi separatio quæ-

dam, & applicatio ad gubernationem spirituale? Huius
 modi vero applicatio quid, nisi gratia, quam solus Do-
 minus diuidit? Homo autem gratiæ diuidendæ mini-
 ster est tantum, & dispensator, qui de potestate pro-
 pria non promit, sed quod alterius est, ministrat, ne-
 que quod ministratur, ac dispensatur fit ab eo, qui mi-
 nister est tantum, & dispensator, sed ab eo, qui auctor
 est, & causa prima atque immediata. Hinc Paulus Co-
 rinthiis scribens, Quosdam (inquit) posuit in ecclesia,
 „ primum apostolos, secundo prophetas, tertio docto-
 „ res, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitu-
 „ lationes, gubernationes, &cæt. Quid quæso est, posuif-
 se quosdam in ecclesia apostolos, nisi quosdam ad apo-
 stolatum applicasse? Quid similiter posuisse in ecclesia
 gubernationes, nisi quosdam item ad gubernationes
 applicasse, alios ad alias? Esse autem gubernationes spi-
 rituales inter charismata, idem Apostolus docuit, Sub-
 iunxit enim, æmulamini autem charismata meliora.
 Quid ergo est, quod isti dicunt applicationem quidem
 pontificatus a Deo fieri immediate, applicationem ve-
 ro episcopatus immediate ab homine? Ferri quidē po-
 terat simplicitas sermonis, & huius verbi immediate
 adiaphoria, nisi de dogmate ageretur, sicuti Leontius
 Cyprius scribens aduersus Acephalos, quando inquit,
 simpliciter & libere utimur sermone, ac nominibus,
 nihil prohibet *ἀδιαφορεῖν*, id est, indifferēter eis uti, sole-
 re enim scripturam, & patres accommodare nomina, qui-
 bus non conueniant eorum diffinitiones. vt Paulus
 partes hominis appellat homines interiorem, & exte-
 riorem, quibus non conuenit diffinitio hominis, & pa-
 tres vnāquāquam naturam appellabant hypostasim,
 ita vt homo diceretur compositus ex duabus hyposta-
 seos, at quando inquit, dogma tractatur, & de eo quæri-
 tur, tunc prætermittis homonymis, cogimur proprias
 significa

significationes ex ipsis diffinitionibus sumere, vt rerū
ἀκρίβεια id est perfecta & limata ratio nominū indiffe-
 rentia non lædatur, sic nunc quia docent isti, & tan-
 - quam dogma tradunt, episcopos a pontifice fieri im-
 - mediate, a deo autem mediate, ac proinde ius totum
 - residendi a pontifice nasci, quod omnino volunt con-
 cludere, idcirco non est hic vtenda homonymie, neque
 indifferenter hæc vox immediate, sed vno modo, &
 proprie. proprie autem immediatum est, quod non ha-
 bet causam priorē, vt philosophi tradunt, quare hac ra-
 tione immediate fiunt a deo episcopi. fiunt quoque
 primum a deo, tum hac ratione, quia immediate fiunt
 ab eo, sunt autem immediata prima, tum quia cum pri-
 mum multipliciter dicatur, vt iidē quoque philosophi
 tradunt, primum secundum potentiam dicitur, quod
 valentius est, vt causa, qua secundum voluntatem mo-
 uente, alterum mouetur, & qua rursus non mouen-
 te, nō mouetur, quia ita ratione primum a Deo fiunt
 episcopi, fiunt igitur immediate & primum ab eo. Sed
 age ostendamus adhuc planius a Deo fieri episcopos,
 & quomodo. Quod vt melius intelligatur, repetam
 quod magnus Athanasius tradit scribens aduersus hæ-
 reticos illos, qui aiebant, datum esse secundum gra-
 „ tiam spiritui sancto sanctificare, ex quo (inquit) sequi-
 „ tur, vt officio sacerdotis, atque ministri spiritus san-
 „ ctus fungatur. Neque enim potest Dominus pariter, ac
 „ minister esse. Quod si minister sit, frustra iam baptiza-
 „ mur in nomine ministri. Etenim minister, ac sacerdos
 „ non sanctificat aquam, sed ministerium, quod deest, se-
 „ cundum gratiam acceptam implet. Quod si idem face-
 „ ret spiritus, quod facit minister, ac sacerdos, datumque
 „ esset spiritui sancto sanctificare, sicuti datum est mini-
 „ stro, ad quid Pater sanctificaret? Rex enim imperans
 „ aliquid ministro, scilicet valēti, nō iam ipse illud facit,
 „ sed relinquit ministro, cui iussit faciendum. Hactenus

ille, Ex quo loco intelligi potest, quod ait Apostolus,
 » Nunquid in nomine Pauli baptizati estis? Gratias ago
 » Deo, quod neminem vestrum baptizavi, ne quis dicat,
 id est, ne quis habeat occasionem dicendi, quod in no-
 mine meo baptizati estis, id est, virtute mea, tanquam
 ego essem auctor, & Dominus gratiæ huius, ac non po-
 tius minister, ac dispensator huius mysterii, ministrans
 scilicet aquam, & verba, ex quibus sacramentum bap-
 » ptismi constat. Et rursus in eadem epistola, cum enim
 » quis dicat, ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo,
 » nonne carnales estis? Quid igitur est Appollo? Quid
 » vero Paulus? Nonne ministri eius, cui credidistis? Ita
 » que neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid.
 Nihil (inquam) est minister, præterquam minister mi-
 nistrans (sicut ait Petrus) tanquam ex virtute, quam
 Deus suppeditat. Quod perinde mihi esse videtur, ac
 si diceret, qui minister est, semper meminisse debet, mi-
 nistrum se esse, tantum ministerio suo virtutem Dei
 administrantem, ita ut quicquid perficiatur spirituali-
 ter, per virtutem Dei perficiatur, cui ipse minister so-
 lum subterruit, & ministrat. Ergo ut sacerdos non dicitur
 potestate sua propria baptizare, quia minister tan-
 tum est, ministerium acceptum secundum gratiam da-
 tam implens, sed Deus ipse, qui non per gratiam, tan-
 quam minister, sed per substantiæ, ac naturæ suæ vim
 & energiam, tanquam Dominus, & auctor baptizat,
 & regenerat, sic pontifex, quia etiam minister est, &
 secundum gratiam acceptam ministerium vniuersalis
 pastoris implet, non dicitur potestate sua propria, &
 principali siue prima, & immediata, sed accepta a Deo
 facere episcopos, id est, neque eligere, neque consecra-
 re, neque benedicere, neque plus agit, quantum ad effi-
 cientiam gratiæ, & doni spiritualis, cum episcopum
 creat, quam cum baptizat, utrobique enim solum sub-
 terruit virtuti diuinæ ministerio suo, quo illam admini-

strat, atque dispensat, ut iam si ideo episcopum ponti-
 fex mutare, aut etiam priuare potest, quia ipse illum
 fecerit episcopum, cum tantundem agat ipse, aut sacer-
 dos, cum baptizat, aut consecrat, sequitur posse simili-
 ter baptismum, aut consecrationem tollere. Idcirco
 Paulus presbyteros, ac pastores Ephesos ad studium,
 ac diligentiam officii commendandam, necessariū esse
 duxit, admonere illos, a quo esset illis cura attendendi
 gregis imposita, ne si suspicarentur ab homine imposi-
 tam, & iniunctam, (ut quidam nunc sentiunt) remif-
 » sius agerent. Attendite (inquit) gregi, in quo vos po-
 » suit spiritus sanctus episcopos regere ecclesiam Dei.
 Quod si minister ponit potestate sua, immediata & pri-
 ma pastores, concludam, ut Athanasius in baptismo
 concludit, ergo non posuit spiritus sanctus. Frustra. n.
 ponat Dominus, quod iam ministro iusserit ponere.
 Rex enim imperans aliquid ministro, non iam ipse illud
 facit, sed ministro, cui iussit, relinquit faciendū. Deus
 ergo tanquam auctor, & Dominus eligit, benedicit,
 & consecrat episcopū in opus ministerii, id est, a Deo,
 tanquam ab auctore, & Domino accipit episcopus po-
 testatē, siue ministerium, siue gratiam, siue charisma,
 primum quidem gubernationis, quæ dicitur potestas
 iurisdictionis, Deinde vero similiter accipit ab eodem
 potestatem, siue ministerium, siue gratiam, siue chari-
 sma ordinandi presbyteros, & confirmandi, quæ dicitur
 potestas sacramentalis, ut vel ex ipsis formulis in ponti-
 ficali digestis perspici potest. Sed videamus quomodo
 hæc fiant, id est, quomodo Deus eligat, & quomodo
 consecret episcopos, & cur sic, id est, per ministeriū ho-
 minum. Lateret. n. hoc tum eum, qui eligitur, & conse-
 cratur, tum ecclesiā, quæ electum, & consecratum reci-
 pit, nisi aliquod ministerium hominū corporale, id est
 sub sensum cadens interueniret, sicuti Hier. in Cóm.
 Esaiæ, Ordinatio (inquit) non tantum precibus, sed
 bb ii

„ manus impositione perficitur, ne sicut in quibusdam
 „ risimus, vocis tacita imprecatio clericos ordinet ne-
 „ scientes. Ergo potestatem gubernationis, quæ inest in
 desponsatione canonica episcopi, & ecclesiæ, fecit ipse
 consensus eligentis, & electi, quem bulæ (vt vocant)
 expeditæ testantur. Sed quomodo hoc fieri potest, vt
 consensus hominis charisma gubernationis, siue iurif-
 dictionis spiritualis, quod diuinum est, efficiat? Dicam,
 quod euangelium de conceptu virginali, & Leo ma-
 gnus de aqua regeneratæ, superuenit spiritus sanctus,
 & virtus altissimi obumbrat, id est, non ex natura sua
 hoc facit consensus, sed virtute Dei superueniente, si-
 cuti consensus viri, & mulieris, non ex natura sua, sed
 per virtutem Dei efficit matrimonium, id est coniun-
 ctionem legitimam, vt iam neuter cõiugum peccet in
 corpus suum, quamuis vnum corpus efficiatur cum al-
 tero propter communionem procreationis, quæ ex
 vtroque perficienda est, sed potius sit torus immacula-
 tus, & honorabile coniugium. Non itaque cum episco-
 pus eligitur in nomine, id est, in virtute ministri eligi-
 tur, sed Dei. Qui enim ministrat, tanquam ex virtute,
 „ te, quam Deus dat, id est, virtuti Dei superuenienti
 „ subleuuit tanquam minister. Similiter dicatur in conse-
 cratione. Illa enim, quæ adhibetur in canonica, atque
 ecclesiastica consecratione, tum res, tum verba, vt vn-
 ctio cum formula vngendi, baculi, annuli, libri euange-
 liorum cum certis verborum formulis traditio, mitra
 item impositio, & chirothecarum inductio, Hæc (in-
 quam) omnia, superueniente spiritu sancto, id est, non
 virtute propria, sed virtute Dei mysteria fiunt conse-
 crationem perficientia, quorum mysteriorum mini-
 stri tantum sunt ii, qui cõsecrant, quorum est princeps
 pontifex, a quo manat omnis auctoritas, non quidem
 principalis, & immediata, sed ministerialis, canonicæ
 electionis, & consecrationis. Ipse enim tanquam caput

accepit a Deo secundum gratiam omne ministerium,
 ac dispensationem omnis potestatis spiritualis, ita vt
 quicquid Dominus aliis tribuat, non nisi per pontifi-
 cem tanquam summum ministrum suum tribuat, acci-
 piantque de eius potestate cæteri partem, non quidem
 ab eo, tanquam primo auctore, & datore, sed a Deo
 per eum, qui quidem (si ita loqui libet) dicatur media-
 te facere episcopos, tanquam minister, ac sic quidem,
 vt pontifex facit episcopos, similiter electores faciunt
 pontificem, tanquam ministri inquam, electionis, &
 gratiæ pontificalis, quæ a Deo immediate & primum
 tribuitur. Hoc vero interest, quod pontifex, qui epis-
 copos facit, episcopus est ipse & quidem superior, imo
 summus, electores vero, qui pontificem eligunt, etsi
 pontificali actu vtantur, tamen non sunt sic pontifices
 nedum superiores pontifice. Verum hoc non tollit,
 quin omnes ministri sint. Deus autem auctor, ac da-
 tor potestatis episcopalis, & pontificalis, nihil enim re-
 fert, vtum det aliis Deus per ministrum de eo, quod
 prius ministro dederit ad vtendum, & habendum,
 an det aliquid per ministrum, quod non omnino de-
 derit ei. Neque refert, vtum minister dispenset aliis
 de eo, quod accepit sibi, vt quidem pontifex dispen-
 sat de potestate spirituali, an dispenset, quod non om-
 nino accepit sibi, vt electores pontificis. Sic Moyses
 70. viros elegit iussu Dei, vt sustinerent secum onus po-
 puli. ne autem existimaretur daturus eis potestatem aliter
 quam vt minister, dei vero esse intelligeretur, diuidere
 ministraciones, vt Paulus loquitur, & ponere governa-
 „ tiones, sequitur, & auferam de spiritu tuo, id est da-
 tua potestate, & tradam eis, vt sustentent tecum onus
 populi. Nō inquit, spiritum tuum auferam, sed de tuo,
 vt significaret, sicut Theodoretus ait, tum dedisse illi,
 quantum gratiæ fatis esset ad gubernandum, si quidem
 nō nisi de spiritu eius illis. 70. daret, tum gratiā Moysis

non esse exhaustam, aut imminutam, quod esset cum illis. 70. communicata. Præterea neque est dictum. Tradet Moyses de spiritu suo, sed Dominus inquit, Auferā ipse de spiritu tuo, ut doceret (sicut ante dixi) neminem præter Deum spiritum sanctū, eiusq. charismata dare. Similiter dicatur in episcopis, ac presbyteris, reliquisque potestatibus, spiritualibus scilicet de charismate pontificatus, id est, de potestate vniuersali pontificis datum esse illis, quod quidem non exhaurit, neque minuit eam, licet de ea cæteri accipiant, non quidem immediate & principaliter a pontifice, sed a Deo per pontificem. Cum vero sit pontifex, non sic auferit Dominus de spiritu eligentium, id est, de charismate eorū, Siquidē charisma, seu potestatem summi pontificatus minime habeant illi, sed tantum gratiam eligendi, & applicandi ministerio suo, quod a Deo similiter per pontificem acceperunt, ministerium inquam applicandi ad eam potestatem, & gubernationem, qua ipsi carent. Recte ergo, qui dixerūt Papam immediate fieri a Deo, cum fiat per ministerium eligentium, quod ipsi eligentes rursus a Deo acceperunt per ministeriū pontificis, qui eos ad hoc elegit. Minister vero (ut dixi) siue ministrat, ac dispensat de eo, quod ipse sibi accepit a Deo, siue etiam ministrat aliquid, quod non sic accepit, nō est aliud, quam minister ex virtute, quam Deus dat, Ministrans, neque plus agit ministrando cum habet quod ministrat, quam cum non habet, sicut qui ministrat gratiam, alienus ipse a gratia. Idem vero Dominus est dator charismatis, & effector muneris, quicumque sit minister legitimus. Male itaque, qui dixit, iurisdictionem pōtificalem in hoc, aut illo, immediate esse ab homine. Melius vero, qui dixit, potestatem spiritualem iurisdictionalem (ita enim vocant) ex iniunctione hominis esse, si tamen sic accipiamus, ex iniunctione hominis, non quidem immediata, & prima, sed ministe-

riali. quare qui aiunt Papā immediate fieri a Deo, vel necesse est, tollant ministerium medium, quod intercedit, quodque nudam electionem appellant, si ita ut volunt, verbum immediate accipiant, vel si sic, id est proprie, & ut debent, accipiant immediate fieri a Deo, scilicet tāquam ab auctore, & Domino, ita ut inter Deū, & eum qui sit pontifex, nemo alius intercedat potestatis pontificalis auctor, & dator, profecto cum addunt statim, velut comparantes, episcopos vero non fieri immediate a Deo, sed a pōtifice, eumque esse collatorem potestatis episcopalis, non iam ministrum faciunt pontificem, sed proprie datorem episcopatus, id est, huius gubernationis spiritualis, quæ charisma est, & quam Deus ponit in ecclesia, non intelligentes, cum dicitur » episcopo, Accipe euangelium, & vade, prædica populo » tibi commissio, hoc quod auditur, dici quidem a ministro, & dispēsatore mysteriorū, idem vero immediate, & primum interius, ac spiritualiter a Domino dici, qui tum aliis mysteriis consecrationis, tum huic, quod constat ex libri euangeliorum datione, & hac verborum formula, virtutem diuinam dat, quæ quidem in hoc mysterio potestatem spiritualem eundi, & prædicandi operatur, & quidem adiuncta vi præcepti diuini. Cum enim minister pronuntiat. Vade, Dominus est, qui tanquam auctor, & Dominus ire præcipit. Quo autem ire præcipit, scilicet ad diocesem commissam, ibi haud dubio manere præcipit. Ex quo iam perspicitur præceptum de residentia non ecclesiasticum, ut isti dicunt, sed diuinum esse, ut postea magis perspicietur, præceptumque Dei intus loquentis violare, quicumque non eunt, cum ire possunt. Sed pergamus magis adhuc ostendere, a Deo fieri episcopos. Potestas spiritualis, qualis est omnis potestas ecclesiastica, ut antistitis, aut præpositi ordinis, a Deo, & legibus diuinis originem habet, ut tradit Magnus Basilius in Constitutionibus

monasticis, scilicet a lege illa, qua iussit Dominus Petro pascere oves, per quem ad reliquos omnis potestas & auctoritas pascendi manet a Deo, tanquam a principe, & Domino pastorum: & ab illa, ut ego interpretor, qua eidem iussit, ut conuersus firmaret fratres, per quem omnis potestas, & auctoritas spiritualis firmandi, & regendi deriuatur. Denique ab illa lege, qua constitutum est a CHRISTO, ut Petrus esset fundamentum ecclesie catholice, & qua constitutum, ut haberet clauis regni coelorum, per quem proficiscitur a Deo omnis spiritualis potestas, & auctoritas aedificationis ecclesiasticae, omnisque auctoritas, & potestas claudendi, & aperiendi in ecclesia regnum coelorum. Per Petrum enim dedit, quicquid potestatis aliis in ecclesia non negauit. Ergo cum potestas omnis ecclesiasticae iurisdictionis spiritualis sit, ea autem a Deo, & legibus diuinis originem habeat, Sequitur iurisdictionem huius episcopi, aut illius, cum spiritualis potestas sit, non ab homine, sed a Deo esse. Neque enim voluntas hominis, neque ministerium eius, sed, ut Leo magnus ait in sermone de assumptione sua, dignatio caelestis gratiae gignit antistitem. Et Ambrosius in pastoralis suo scribens aduersus eos, qui pretio ordinant. Quis (inquit) dat, frater, gratiam episcopalem, Deus, an homo? Respondes, sine dubio, Deus. Sed tamen per hominem dat Deus. Homo imponit manus, Deus largitur gratiam. Sacerdos imponit supplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dextera. Episcopus initiat ordinem, & Deus tribuit dignitatem. O iustitia, o aequitas, si homini pecunia datur, qui nihil in ordine amplius operatur, nisi solum seruitium, quod ei creditur. Cur Deo totum negatur, qui ipsum ordinem tibi largitur? Quid clarius? Ergo quod est in electione, & consecratione episcopi *σωματικόν & ὑποουγκόν* id est, corporale, ac ministeriale, Hoc dicit Ambro. & nos cum

eo,

eo, immediate esse ab homine, quod vero spirituale, quale est episcopatus, qui est charisma in opus ministerii, siue gratia ministracionis, ut Apostolus loquitur, hoc non immediate ab homine, sed a Deo per hominis ministerium, ita ut electio episcoporum, diuisio ouilium, circumscriptio cuiusque dioeceseos, iniunctio curae pastoralis, vox illa, Vade, & praedica populo tibi commissio, haec inquam *σωματικόν καὶ ὑποουγκόν*, id est, corporaliter, & ministerialiter, & ut cerni possunt, ab homine sunt immediate, spiritualiter vero, καὶ ὡς κινῆσις ἀνεργούμενα, id est, ut proprie, ac principaliter fiunt, non immediate quidem & primum ab homine, sed a Deo per hominem. Deus enim est, qui diuidit charismata spiritus, qui committit curam animarum, denique qui potestatem pastorem tribuit, quam legibus diuinis, & euangelicis sanxit. Sed videamus, quemadmodum sanxit, & quomodo a legibus diuinis potestas spiritualis gubernationis originem habeat. Scribit Basilius in eodem capite, cum dixit CHRISTVS Petro, Pisce oves meas, Petrum constituisse pastorem ecclesiae, & consequenter dedisse omnibus pastoribus, & magistris potestatem spirituales, Quod perinde mihi esse videtur, ac si diceret, dixisse quidem CHRISTVM soli Petro, pascere oves meas, eumque solum pastorem ecclesiae catholice his verbis per virtutem diuinam constituisse. Caeterum transisse vim huiusmodi potestatis pascendi in ceteros omnes pastores, rectores, atque ministros ecclesiarum, similiter atque dixit sanctus Leo sermone 3. de die anniuersario assumptionis suae, cum dixit Petro, tibi dabo clauis regni coelorum, & quaecunque ligaueris super terram, &c. Transiit (inquit) in alios apostolos vis potestatis huius, & ad omnes ecclesiae principes decreti huius constitutio commeaui. Sed non frustra vni commendatur, quod omnibus inuenitur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur,

cc

„ qui cunctis ecclesiæ rectoribus Petri forma proponi-
 „ tur. Hæc ille. Et Ambro. in pastoralis, Idcirco (inquit)
 „ nos, quibus in verbis diuinis credita est dispensatio, &
 „ qui gregem CHRIS TI alendum suscepimus, & que se
 „ quantur. Et paulo post. Væ iam mihi est, si claues illas
 „ regni cœlorum, quas in beato Petro Apostolo cuncti
 „ suscepimus sacerdotes, minime referuauero. Idem pau-
 „ lo infra, Repetitur a domino tertio, Pasce oues
 „ meas. Quas oues, & quem gregem non solum tunc bea-
 „ tus suscepit Petrus, sed nobiscum eas suscepit, & cum
 „ illo nos suscepimus omnes. Vnde regendæ sacerdotibus
 „ contraduntur, & merito rectoribus suis subdi dicun-
 „ tur. Idem sensit August. in lib. de Pastoribus, scilicet
 „ cum dominus dixit Petro, pasce oues meas, per Petrum,
 „ & in Petro cunctis pastoribus dixisse. loquens enim
 „ de parabola boni pastoris, Non ideo (inquit) modo ta-
 „ centur pastores, & dicitur pastor, quia non inuenit do-
 „ minus, cui commendaret oues suas, tunc autem ideo
 „ commendauit, quia Petrum inuenit, imo vero & in
 „ ipso Petro vnitatem commendauit. Multi erant Apo-
 „ stoli, & vni dicitur, Pasce oues meas. Omnes pastores
 „ in vno sunt, & vnum sunt. Trāsisse ergo diuinam vim
 „ horum verborum, Pasce oues meas, ad cæteros alios
 „ spirituales rectores, testantur etiam ecclesiasticæ for-
 „ mular, & ritus constituendi rectores spirituales, vt epi-
 „ scopos, Abbates, aliosque huiusmodi. Episcopo enim
 „ dicitur, Accipe euangelium, & vade, prædica populo
 „ tibi commissio. Quod perinde est, atque diceretur
 „ illi, Vade, pasce oues tibi creditas. Abbati dicitur, Ac-
 „ cipe plenam, & liberam potestatem regendi hoc mo-
 „ nasterium. Nihil autem aliud est pascere, quam rege-
 „ re. Clarius autem dicitur Abbatissæ, Accipe regulam,
 „ ad custodiendum, & regendum gregem tibi commif-
 „ sum. Perinde atque diceretur illi, Pasce oues tibi com-
 „ missas secundum hanc regulam. Non enim mulieri

simpliciter, & omnino committi potest cura anima-
 rum tanquam pastori, vt cum alii, tum Chrysofsto. tra-
 dit libro de Sacerdotio. 2. Idcirco non dicitur illi, vt
 Abbati, accipe potestatem pascendi, siue regendi, sed
 accipe regulam, &c. Per hanc itaque legem diuinam,
 & euangelicam de pascendis ouibus constituit CHRIS-
 TVS ecclesiæ catholicæ pastorem vniuersalem Pe-
 trum, & per eandem legem dedit de potestate ista vni-
 uersali, & spiritali Petri potestatem singularem, ean-
 demque spiritali iis omnibus, quicunque fiunt pa-
 stores, siue rectores in interioribus, id est, animarum,
 mediatoresque Dei, & hominum. Non autem per hanc
 legem, neque per aliam huiusmodi in euangelio scri-
 ptam, aut a CHRIS TO, vel apostolis prædicatā, sed per
 legem humanam dat potestatem sæcularē iis, qui fiunt
 pastores, siue rectores in exterioribus, cleri scilicet ac
 plebis mediatores, id est, vt sint ecclesiæ contra po-
 pulū defensores, quales sunt potestates sæculares, sicut
 est in coronatione regis, de cuius potestate generali, ac
 regali cætera omnis potestas sæcularis ipsius regni de-
 riuatur, sicuti de pontificali omnis spiritalis potestas
 regni ecclesiastici. Ita enim precatur Metropolitanus,
 „ cum regem coronat, sicuti nos in interioribus pasto-
 „ res, rectoresque animarum intelligimur, ita & tu con-
 „ tra omnes aduersitates ecclesiæ CHRIS TI defensor
 „ existas. Et illud in eadem coronatione, Quatenus me-
 „ diator Dei, & hominum te mediatorem cleri, & plebis
 „ in hoc regni solio confirmet, &cæt. sic ergo intelligen-
 „ dum puto, Basilio interprete, quod supra dixi scriptum
 „ esse ab eodem, potestatem spiritali a Deo legibus
 „ diuinis constitui, sæculari vero legibus humanis, id
 „ est, a Deo per leges humanas, siue mediantibus legibus
 „ humanis. Quod vero idem ait, id, quod nonnullis du-
 „ bitationem aliquam efferre posset, constituere CHRIS-
 „ TVM post se Petrum ecclesiæ pastorem, cum dicit.

Petre, amas me. Pasce oues meas, omnibusque deinceps pastoribus, & magistris æqualem tribuere potestatem, cuius rei (inquit) signum est, quod omnes similiter, atque ille, ligent, & soluant, Loquebatur autem de obedientia a monachis præstanda rectoribus suis, siue prepositis. Hoc (inquam) sic existimo accipiendum esse, ut intelligamus, hac vna lege de ouibus pascendis, qua solus Petrus constitutus est summus pastor ecclesiæ catholicæ, ad omnes pastores, siue rectores ecclesiarum æqualiter pertinente, æqualem pascendi potestatem omnibus illis tribui, seruata tamen graduum distinctione, ita ut non sit magis pastor, qui maior est, & excellentior, quam qui minor, & vilior, cum vna, eademque sit pastoris, ac rectoris spiritualis ratio, qui cunque ille sit, quatenus pastor, rectorque est, scilicet personam CHRISTI gerere, esse mediatorem inter Deum, & homines, & operari Deo salutem subditorum. Nihil enim aliud est, ut idem Basilius paulo supra dixerat, pastorem, siue rectorem esse, quam hæc tria facere, ad quæ facienda omnes æqualiter positi, constitutique sunt ab spiritu sancto, quæ vno verbo Apostolus de spiritualibus prepositis loquens, complexus esse videtur. Ipsi (inquit) peruigilant pro animabus vestris, scilicet operantes salutem vestram, & exercentes officium mediatorum inter Deum, & homines, denique personam CHRISTI veri mediatoris Dei, & hominum gerentes, qui de cælo descendit, ut hæc vere in nobis perficeret, & operaretur. Verum hæc æqualitas, & hæc vna eademque ratio omnium pastorum spiritualium, quatenus pastores sunt, non tollit gradus pastorum, atque rectorum, quin alius sit presbyter, alius episcopus (Nam eisdem dicere vtrumque, heresis Aerii est) item alius sit omnium ouium princeps pastor, & rector vniuersalis, alius pauciorum, alius in hoc loco pascat, alius in illo, alius in cuncto orbe, ut ponti-

fex. Hæc enim accidunt pastori. Sicuti eadem est ratio, & æqualitas omnium hominum, quatenus homines sunt, esto non idem ordo, & gradus hominum sit. Hæc itaque est verissima Basiliæ sententia, scilicet his verbis. Petre, amas me, Pasce oues meas, constitutum esse Petrum, omnium ouium, id est, catholicæ ecclesiæ pastorem, eisdemque verbis tribui cæteris omnibus post Petrum pastoribus, ac rectoribus spiritualibus æqualem potestatem pascendi, ita ut eadem ratio sit pastorum omnium quatenus pastores sunt, nempe vnius, eiusdemque CHRISTI personam gerere, operari vni, eidemque salutem subditorum, esseque omnes mediatores inter Deum, & homines. Non me pœnitent, quæ optima sunt, & commodissima sæpe repetere. Huius vero æqualitatis signum esse ait Basilius, quod omnes similiter ligent, atque soluant. Vna enim, eademque est omnibus ligandi, atque soluendi formula, quæ potestas canonice conuenit prepositis, atque rectoribus animarum. Libenter hunc locum Basiliæ tam multis verbis tractaui, quod sciam non paucos, præsertim Græcos ita hunc locum, & similes interpretari, ut audeant, non intelligentes de quibus loquantur, neque de quibus affirmant, audeant (inquam) cum pontificatu cæterum omnem episcopatum æquare, qui, si ita interpretantur in pontifice, & reliquis episcopis, quod dixit Basilius, dari illis verbis, Pasce oues meas, æqualem potestatem reliquis post Petrum pastoribus, dicat similiter episcopos, & presbyteros pastores, æquales esse, atque pares. Quod, quis est, qui dicat, nisi Acrianus aliquis? teneamus ergo quod satis me arbitrari hætenus demonstrasse, scilicet a Deo fieri singulos episcopos, a quo fuerit institutus episcopatus, vna Dei voce, vnaque lege de pascendis ouibus ad omnes rectores, & magistros ecclesiarum per Petrum transeunte, quæ ipse Dominus absque vlllo hominum ministerio, ne-

que ab hominibus, neque per hominem episcopum primum, cæterorum episcoporum, ac pastorum omnium principē, & gubernatorem fecit, voce illa, atque lege de pascendis ouibus ei singulariter siue specialiter dicta, per quem cæteros pastores, & rectores animarum facit, tanquam per virtutis diuinę administrum, & instrumentum. Per se enim pontifex, id est, suo nomine, & virtute nullam gratiam, neque charisma ministrare potest, sed ex virtute, quam Deus dat, sicut B. Petrus ait. Quare si residere tenentur episcopi, vt quidem tenentur, quod nemo ne istorum quidem negat, sequitur eius præcepto teneri, id est, Dei, qui episcopos faciat, eaque voce, & lege diuina, qua facti sunt pastores. Dei enim vox est, & præceptum, quod tanquam CHRISTI minister ipse consecrator episcopi pronunciat, cum ait. Vade, & prædica populo tibi commisso. Quæ quidem verba, vim illorū CHRISTI verborum, Pasce oues meas, explicant. Vade (inquam) scilicet ad diocēsem tuam regendam. Quam Dei vocem, Deique per ministrum loquentis præceptum violant quidem, quicumque non eunt, cum ire possunt. De potestate vero mundi, siue sæculari, quia non est scripta lex in euangelio, per quam illa tradatur, neque rursus fuerit præceptū speciale de eiusmodi potestate, quod statim violet, qui ibi nō resideat, vbi illam ipsam potestatem gerat, violarit tamen, obedientiæ fidei, iustitiæ, ac charitatis leges, quibus se obligauit, cum suscepta cura regiminis exterioris factus est particeps ministerii pastoralis ad vindictam male factorum, laudem vero bonorum. præclare itaque Ildelbertus episcopus Cenomanensis vir singulari doctrina, & sanctitate scribens ad comitem quendam parantē proficisci ad templū sancti Iacobi Compostellani, cū vellet eum

» a proposito & sententia deducere, fortasse, inquit, di-

» ces votum voui domino, transgressionis arguar, si irri-

» tum facio votum, agnosce o princeps, quia tu quidem

» te alligasti voto, sed Deus officio, tu vie, sed Deus obe-

» dientiæ, appende ergo si tantus sit fructus itineris, vt

» supplere possit intermissæ dispendium obedientiæ, &

» paulo post, si autem bonum administrationis longe ma-

» ius est, & elegantius, quod inficiari nemo audebit, se-

» de in palatio, dispone de suffragiis afflictorum, & vt

» omnes tibi viuant, omnibus viue, viue Reip. noctes

» illi præsta & dies, &c. Hæc vero quanto magis in pasto-

res spirituales cōueniant, nemo tam tardus est, nemo

tam corrupto iudicio, qui non videat clarissime, & li-

benter confiteatur. quibus cum in interioribus vigilā-

dum sit pro animabus eorum, quibus præsent, minus

multo licebit abesse, quam illis, ne absentibus & strepi-

tus, ac molestias præsentibus fugientibus facile somnus

obrepat, multa velut dormientes ignorent, multaque

eis tanquam somniantibus appareant. Quando ergo

locum haberet illud, Vade, & prædica? quæ, vt dixi,

vim illorum CHRISTI verborum continent, Pasce

oues meas, si absolui potest, qui præest, ne vnquam va-

dat? Aut quomodo hoc Dominus præcipit, si ne vn-

quam impleatur, pontifex concedere potest? Verum

afferamus alium scripturæ sanctæ locum, non quidem

ex quo ratione, & syllogismo concludi possit, residen-

tiam esse iure diuino sancitā, cuiusmodi loca satis mul-

ta ab aliis recitata sunt, & in eorum libris copiose &

diligenter tractata, sed in quo expressa sit huiusmodi

residencia, quod quidem importune a quibusdam re-

quiri scio. Ergo Salomon loquens de cura, & studio

ouium rationalium, Cognosce (inquit) animas gregis

tui *γινώσκω* id est euidenter, &, vt scriptura loqui solet,

facie ad faciem, siue coram, & in præsentia. Hoc enim

significare *γινώσκω* vt est apud 70. vel ex eo loco Exodi

didicimus, in quo Moyses desiderans videre Deum, nō

per speculum in ænigmate, sed sicuti est, vt Ioānes ait,

„ siue facie ad faciem, vt Paulus, Ostende te (inquit)
 „ mihi *γῶσδδ* vt videam te. Id enim desiderasse & petif
 „ se, vel ex eo constat, quod Dominus negauit hoc fieri
 „ posse, quamdiu mortalis esset. Nō videbit me (inquit)
 „ homo, & viuet. Sic enim videre Deum vt fieri hic pos
 „ se, negauit, beatorū est. Esto postea gloriam, siue splen
 „ dorem, & lumen suum eidem Moisi viuenti, absque
 „ ænigmate, & figuris ostenderit, sicuti testatur idem
 „ Moises in libro Numerorum, Palam (inquit) & non
 „ per ænigmata, & figuras gloriam Dei vidit. Vidit autē
 „ Exodi. 33. cum faciem suam videre non cōcessit Deus,
 „ quod quidem erat videre Deum *γῶσδδ* gloriam vero,
 „ & splendorem concessit, qualis fuit gloria, siue splen
 „ dor, qui in scriptura dici solet *δόξα*, quam viderunt di
 „ scipuli in monte Thabor, de quo nos alias egimus. Re
 „ deamus ad locum Salomonis, in quo quidem Domi
 „ nus providens fore futuris temporibus, qui negarent
 „ iure diuino sancitam esse residentiam pastorum spiri
 „ tualium, iussamque esse a Deo in scriptura sancta, id
 „ circo cum alias in nouo testamento, tum clarissime, &
 „ vt ita dicam expresse per os Salomonis hoc sanxit, neq.
 „ cognoscere potest pastor gregem suum *γῶσδδ*, nisi
 „ suis oculis cernat, suis autem oculis cernere nō potest,
 „ nisi præsens sit, vnde episcopi, vt beatus Cyrillus in Cō
 „ mentariis Zachariæ scripsit, sic dicti sunt, quia in cor
 „ pore Christi quod est ecclesia, locum teneant oculorū,
 „ & per eos Dominus inspiciat credentes. Cum autem
 „ præceptum Salomonis audimus, proprie Dei præceptū
 „ audimus, etsi fortasse negabunt isti, qui etiam dicere,
 „ imo scribere ausi sunt, legem Moisis nō esse proprie le
 „ gem Dei, cum tamen, si alterutrum dicendum esset, po
 „ tius dicendum esse videretur, non esse proprie legem
 „ Moisis, sed Dei potius per Moisen. Deus enim Moisi le
 „ gem per angelos inspirauit, quam idem Moises populo
 „ dedit non in suo, sed in Dei nomine. Quemadmodum
 „ ergo

„ ergo non est dicenda lex Dei proprie cum ab eo primū
 „ profecta sit? Sicuti quod Adam dixit, Propter hoc
 „ relinquet homo & quæ sequuntur, Dominus se di
 „ xisse in euangelio testatur, quia scilicet ipse illud pri
 „ mum, & immediate dixit. Verum hæc sententia non
 „ non longe abest ab erroribus Ptolemæi heretici, vt in
 „ telligi potest ex epistola eius ad Floram sororē, quam
 „ Epiphanius Cyprius in Panario suo doctissime confu
 „ tauit. Is enim connexionem ponebat in lege ex iis, quæ
 „ Dei essent, & ex iis, quæ Moisis. Quod vero dicunt
 „ isti ideo legem Moisis nō esse proprie legem Dei, quia
 „ nō veniat immediate a Deo, Decalogum vero venisse
 „ a voce Dei. Videamus quale hoc sit. Testatur beatus
 „ Stephanus datam esse legem in dispositione Angelo
 „ rum, id est, per angelos ministros, sicuti scriptū est,
 „ Nonne omnes sunt administratorii spiritus ad ministe
 „ rium missi? &c. Cum autem legem dicit, Decalogum
 „ quoque intelligit, quem in primis, & grauius Iudei
 „ violabant, quod idem Stephanus exprobrans illis, Ac
 „ cepistis (inquit) legem in dispositione Angelorum, &
 „ non custodistis. Item Apostolus, Si (inquit) qui per an
 „ gelos dictus est Sermo, factus est firmus, & omnis præ
 „ uaricatio, & inobedientia accepit iustam mercedis re
 „ tributionem, &c. Sermonem per angelos dictum appel
 „ lauit Apostolus quicquid olim Dominus locutus est
 „ populo suo ministrantibus angelis, quod comparat cū
 „ euangelio salutis, quod idem Dominus locutus est no
 „ bis ministrante filio. Et in epistola ad Galatas de lege
 „ Moisis, Lex (inquit) ordinata per angelos in manu me
 „ diatoris, donec veniret semen, cui promiserat, &c. at.
 „ Perinde atque diceret, lex, quam Moises accepit a Deo
 „ per angelum ministrum dictantem, & informantem
 „ illam. Est enim illud in manu mediatoris, simile, atque
 „ illud Aggæi, factum est verbum Domini in manu Ag
 „ gæi prophete. Perinde atque diceret, prophetiam Do
 „ dd

mini excepit Aggæus. Hoc significat frequens illud in prophetis verbum sumptionis, vt in Malachia, sumptio verbi Domini. Illud vero ordinata per angelos similitudinem habet cum eo, quod est in Zacharia, angelus, qui loquebatur in me. Siue ergo Decalogus ille populo Israclitico dictatus, siue lex Moisis, a Deo veniunt per ministerium (vt testatur scriptura) angelorum, qui locuti sunt Decalogum in populo, & legem in Moise. Quorum sermonem, & locutionem, quia iussu Dei factam, vocem Dei appellat scriptura, non quidem proprie. Cum enim vox sit propter auditum, & auditus propter vocem, vbi non est aer, neque lingua, neque auditus, neque porus, qui ad sensum, qui in capite est, sonum deferat, ibi non est proprie vox, sed consuetudo scripturæ sanctæ vocē Dei vocare solet informationē diuinę voluntatis intus cientis, ac velut sonantis, ministerio angelorū a Deo fieri solitam. Atque ita vtrumque (vt dixi) nō solū Decalogus, sed lex Moisis venit a voce Dei, id est, a volūtate Dei manifestata per angelum, qui loquebatur ei in Sina. Quod enim Moisi illam Deus inspirauit, & per angelū ei loquentē informauit, declarauit sanctus protomartyr Stephanus. Hic est (inquit) Moises, qui fuit cum angelo, qui ei loquebatur in monte Sina, & cū omnibus patribus nostris, qui accepit verbavitę dare nobis. Qui locus satis illū Pauli locū declarat, Lex ordinata per angelos in manu mediatoris, id est, lex, quā accepit Moises angelo ei loquēte. Quod. n. hic est in manu mediatoris, illic est, accepit, quod hic lex, illic verba vitæ (sicut scriptū est. Qui fecerit ea, viuet in eis) quod hic ordinata per angelos, illic angelus, qui ei loquebatur in monte Sina. Sicut etiā Decalogū angelus loquebatur populo. Quod. n. scriptum est in Exodo de solo Decalogo, locutus est Dominus cunctos sermones hos, & rursus, post auditum cum incredibili horrore Decalogum, populus (inquit) lo-

quere tu nobis, & non loquatur nobis Dominus, &c. De angelo accipiendum est, sicut solet scriptura, cum Deus per angelum, aut angelos loquitur, vel apparet, frequentissime appellare Deum, aut Dominū, vt quando Iacob cum viro luctabatur, id est, cum angelo specie virili, statim appellat scriptura Deum, quoniam (inquit) contra Deum fuisti fortis &c. Qui postea, cum Iacob nomen quæreretur, quid inquit, quæris nomen meum, quod est mirabile? idem respondit angelus ille, qui apparuit Manoi & vxori, & nesciebat (inquit) Manoes, quod esset angelus Domini, dixitque ad eum, quod est tibi nomen? cui respondit, cur quæris nomen meum, quod est mirabile? & paulo post, statimque intellexit Manoes, quod esset angelus Domini, & dixit ad vxorem suam, morte moriemur, quia vidimus Deū, scilicet meminerat, etsi non satis intellexerat, quod dixerat Dominus Moisi, nō poteris videre faciē meam, non videbit me homo, & viuet. Item tres viros illos, qui Abraę apparuerūt, scriptura appellat Dominum, quia scilicet iussu Domini adierant. Quos licet Hilaris in. 7. de Trini. lib. personas diuinas fuisse dicat, tamen angelos fuisse ex Paulo didicimus, cum ait in epi. ad Hebræ. & hospitalitatem nolite obliuisci, per hanc enim latuerunt quidam angelis hospitio receptis, intelligit autem de angelis Abraę & Loth fratris. Populus itaque in Exodo Dominum appellat angelum, qui ei loquebatur Decalogum (sicut etiam angelus Moisi loquebatur legem) cum ait, loquere tu nobis, & non loquatur Dominus, sic etiam appellat Moises loquens de Decalogo, cum ait, locutus est Dominus cunctos sermones hos, vnde Paulus, si, inquit, qui per angelos dictus est sermo, & quæ sequuntur. Valeant ergo nouitates verborum, vt est hæc, & quidem non parua, dicere, nō esse proprie legem Dei, quæ sit lex Moisis, quia scilicet non veniat immediate a voce Dei, vt quidem

veniat Decalogus, quod quam sit falsum, & ab scriptura sancta alienum, satis me docuisse arbitror. Similis error erat, quem supra confutauimus, non fieri immediate a Deo episcopos, in vtrūque vero egit istos transfusos huius vocis immediate abusus, vsque adeo verum est quod Leontius Cyprius aduersus Acephalos scripsit *καὶ κυριολεκτεῖν δόγματος ἐργάζεσθαι διαφωνίαν* dicam Latine, non proprie inquit vti verbis, dogmatis discrepantiam efficit, sit ergo lex Moïsis proprie lex Dei, vt Decalogus, quia ab eo auctore primū, & immediate profecta, sunt. n. immediata, quæ prima, & quæ prima, immediata, sicut philosophi tradūt, vt supra diximus. Necesse habui huc tot verbis diggeri, quia verbar, ne quis audiens præceptū Salomonis esse, vt pastor resideat, nō proprie Dei præceptū putaret, præsertim cū legeret hoc, quod nos in istorū libris legimus, legē Moïsis nō esse, proprie legē Dei, tanquā quæ nō veniat a voce Dei, vt veniat Decalogus. Quare vt redeamus, vnde digressi sumus, præcepit Salomon, vel potius deus per Salomonē, vt pastores animarū nō quidē per literas ex vicariis suis de ouibus cognoscerēt, sed vt videant ipsi eas, cognosce (inquit) *γινώσκω*, id est, notorie (vt ita dicā) siue cognoscēter animas tui gregis, siue ouilis, deinde sequitur, quo magis ac magis curā, & studiū ouīū cōmendaret, quia non satis est præsentem esse pastores, nisi ad præsentiam accedat studiū, & sollicitudo, adhibe (inquit) cor tuis gregibus, quoniā nō in sæculū

- » viro robur, potestas, & virtus, neq. tradit ex generatione
- » ne in generationē, perinde atq. præciperet præsentem
- » esse, & accurate ac vigilanter attendere gregi animarū
- » creditarum, idque dum tempus habet, neq. enim cum sit omnibus moriendum, semper futuram esse homini huius muneris pastoralis potestatem, non enim in altero sæculo licebit huiusmodi curam, ac potestatem spirituales gerere & administrare, euacuato iam (sicut

scriptum est) omni principatu, & potestate, atque virtute. Præterea alia loca scripturæ sanctæ non pauca, tum quia ab aliis recte obseruata sunt, & diligēter tractata, tum quia qui a nobis dissentiūt, sic illa omnia interpretanda esse falso putant, vt quod de præsentia pastorū necessaria ex illis locis concludi videatur, id per vicarios & substitutos satis posse præstari affirmant. At cognoscere notorie, & (vt ita dicam) sine vlllo medio, ac facie ad faciē, quod declarat verbū *γινώσκω* secundum consuetudinem scripturæ, vt supra docui, hoc inquam, quemadmodum per alium præstare potest, qui ipse adesse potest? Qui enim non potest ad tempus, siue propter magnam vtilitatem ecclesiæ suæ, aut aliarum, aut propter præcipuam aliquam œconomiam spirituales, aut aliquam aliam necessitatem, quæ vitari aliter non possit commode, is profecto non abesse, sed adesse iudicandus est, ab sens quidem corpore, præsens autem spiritu. Cæteri vero pastores præceptum dei violant, quicumque per alienos gregi attendunt, & animas pecoris sui non *γινώσκω*, & facie ad faciem suisque oculis cernunt præsentem, sed velut in speculo, & enigmatē, obscure, absentes, per auditum, & epistolas cognoscunt. Si tamen vel sic cognoscunt, ac non potius vel hoc negligunt. Est præterea quodam canone apostolorum, quem inter alios in vetustissimo libro legi pœna etiam adiuncta, his verbis clarissime sancita pastorum præsentia *ποιμνίαις ὄντες καὶ οὐ τῆ ἰδίᾳ ποιμνὴν πρᾶμνοντες ἀλλότριον ἔσονται οὐκ ἔχοντες κανονίαν* nothi (inquit) & adulteri ni magis quam pastores, qui in suo ouili non permanent, alieni sint a communione in Christo. Eant nunc isti, & negent iuris diuini esse residentiam. Que enim canonibus apostolorum sancita sunt ad ius diuinum aut scriptum aut non scriptum pertinere, quis, neget, nisi qui ecclesiasticas traditiones, quæ solui non possunt, contemnat? Verum quanta sit canonis huius au-

toritas, magis intelligetur, cum agetur de alio istorum errore, qui aiunt, quæ in solo Paulo leguntur, non esse dei præcepta. Quia vero iactant isti, neminem ante Caietanum de hoc differuisse, aut pronunciaffe, vtrum episcopi iure diuino residere tenerentur, legant epistolas non paucas Athanasii Patriarchæ Constanti nopolitani in literis sanctis valde eruditi, atque exercitati, quas ad Imperatorem sui temporis scripsit rogans eum, vt episcopos omnes ex vrbe eiectos ad ecclesias suas ire cogeret, legant illam, quam idẽ scripsit ad omnes episcopos, hortans eos, vt in ecclesiis suis residerent. *μηδὲ ξωσθὶ πολὺ, ἢ λαχούσης ἀβετήσει τῆς θείων θεσμῶν διαφθεωμένῃ*, ne, inquit, diu extra dioceses contra diuina iuramoremur, & in epistola ad episcopum Sardinium, hortans similiter, vt ad diocesem rediret, *θείων θεσμῶν μηδὲ κατὰ πρὸς μικρὸν ἀνεπιτημίῳ τῶν ὄντων ἀφίστασθαι ἢ ποιμνίς*, diuina, inquit, iura, vel statuta ne paulisper quidẽ sinunt impunè quemquam pastorem a grege abesse. Idem in epistola ad omnes episcopos, sacerdotes, & præpositos monachorum, docens quemadmodum subditos, & quid docere debeant, *ἀπ᾽ ἀκρίτου ἀνάγκης χάρις, ἢ ποιμνίς μακρὰν μὴ βραδύωμεν λόγον ἐπέχεν εἰδότες ποιμνία τῆ ποιμνὴ πρὸς σάμα. ἢ χῆσ ne* (inquit) absque magna necessitate, quæ aliter vitari non possit, procul a diocese moremur, scientes pastorem esse gregi, quod anima corpori. Idem Athanasius, cuius tempore hoc etiam malum frequens, & familiare erat, causam cur, cum a principio decretum esset, vt bis singulis annis Synodi haberentur, deinde vt semel haberentur, decerneretur, fuisse ait, ne propter crebram absentiam pastorum oues a lupis facile inuaderentur, idem in epistola quam scripsit ad metropolitam Cretensium, laudans eum, quod constituisset ad diocesem suam proficisci, episcopus (inquit) si vel biduum in diocese moretur sua, experimẽto cognitum esse, permulta peccata, & damna non cerni in populo,

perinde namque videri gregem esse absque pastore, vt cæcum duce carere. Quod si iudicio patrum, & synodorum, atque vsu rerum cognitum est absentiam pastorum, tam pestiferam & incommodam semper fuisse & esse, ac futuram, quis non credat, tametsi non videat ipse, a Deo prohibitam esse? neque de eo tacitum in scriptura sancta, quamuis ipse non facile cernat? mihi certe in mentem venit, dicere de istis, quod idem Athanasius de eisdem dixit, tendere eos velamen euangelio, ne aspiciant eius ἀκρίθειαν. Nos autẽ per dei gratiã reuelata facie, sicut scriptũ est, veritatẽ speculamur. Pene oblitus eram recitare testimoniũ grauissimũ Damasi pontificis ex epistola, quam scripsit ad episcopos Africano s aduersus chorepiscopos, & eos pastores, qui substitutis in locum suum chorepiscopis, ipsi a suis ecclesiis abierant, quam quidẽ absentiam contra Christi doctrinam esse cum dicat, necesse est intelligamus iure diuino sanctam presentiam, idque Damasum sanctissimum, & sapientissimum p̄tificem sentire, vt nobis (inquit) relatum est, quidam episcoporum propter suam quietem, chorepiscopis plebes suas committere non reformidant, & ipsi in sua quiete torpent, & curam sibi a deo commissam negligunt, cum dominus dicat, bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis, & vocat eas nominatim, & cognoscit suas, & suæ cognoscunt eum. Item sicut nouit me pater, & ego cognosco patrem, & animam meam pono pro ouibus meis, de mercenario autem quid dicat, bene nostis, quia videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oues, & reliqua. Pro talibus vero negligitur cura ecclesię, & eius status perturbatur, & ideo sunt prohibiti intantum, vt si aliqui ex his reperti fuerint, a proprio decidant gradu, illi namque episcopi qui talia sibi præsumunt, videntur mihi esse nutricibus similes, quæ statim vt pariunt, infantes suos alijs nutricibus tradunt

» educandos, vt suam citius valeant explere libidinem,
 » sic & isti infantes suos, id est, populos sibi commisso
 » aliis educandos tradunt, vt suas libidines expleant, id
 » est, vt pro suo libito secularibus curis inhiant, & quod
 » vnicuique visum fuerit, liberius agat. Pro talibus enim
 » animæ negliguntur, oues pereunt, morbi crescunt, hære
 » ses, & schismata prodeunt, ecclesiæ destruuntur, sacer
 » dotes vitiantur, & reliqua mala proueniunt, non tali
 » ter dominus docuit, neque apostoli instituerunt, sed
 » ipsi, qui curam suscipiunt, ipsi peragant, & ipsi proprios
 » manipulos domino representent. nam ipse ouem perdi
 » tam diligenter quæsiuit, ipse inuenit, ipse propriis hu
 » meris reportauit, nosque id ipsum facere perdocuit. si
 » ipse pro ouibus tantam curam habuit, ipse docuit, ipse
 » curauit, ipse sanauit, ipse propriis humeris reportauit,
 » atque intantum dilexit, vt etiam animam, multas susti
 » nens iniurias, multa opprobria, multasque passiones,
 » pro nobis traderet, Quid nos miseri, & desides dicturi
 » sumus, qui etiam pro ouibus nobis commissis curam
 » impendere negligimus? & aliis eas educandas tradi
 » mus? corrigantur hæc fratres, necesse est & car. Hæcte
 » nus ille. Quis hic cauillari poterit, quin confiteatur iu
 » dicasse Damasum, & a deo fieri episcopos, & eorum re
 » sidentiam diuini iuris esse? Sed pergamus ordine, vt ce
 » pimus falsas istorum rationes refellere, ne simplicibus
 » noceant, & incautos in errorem inducant, videamus
 » que, quale sit, quod afferunt de Timotheo episcopo
 » Ephesi, aliorumque sanctorum episcoporum absentia,
 » quãquidem tametsi diuturnam fuisse fingeremus, vt
 » isti fingunt, tamen non sequeretur statim, nõ esse iuris
 » diuini assiduam residentiam, neque enim illorum ab
 » sentia tam iudicanda erat absentia, quam presentia,
 » Nam vt Thessalonicensibus & per eos nobis omnibus
 » apostolus præcipit sine intermissione orare, & Colof
 » sensibus, orationi instare, immo Dominus in euange
 » lio,

lio, semper orare, & nunquam deficere, sic præceptum
 est pastoribus semper ac perpetuo residere. atque vt
 illud impleri potest, similiter hoc potest, potest vero
 illud, si quicquid fiat, in laudem dei fiat, sicut ait apo
 stolus. Similiter ergo iudicandus est semper esse præ
 sens in ecclesiâ, atque diocese sua episcopus, quoties
 propter magnam vtilitatem eius, aut præcipuam ali
 quam œconomiam spiritualem ad tempus abesse neces
 se est, vt enim vniuersa vita hominis religiosi, ac deum
 timentis, & eum in omnibus, & per omnia laudantis
 perpetua quædam Oratio est, sic utilis, atque necessa
 ria pastoris propter oues absentia, presentia quædam
 est. Quare Timotheum etsi demus ab Epheso & Corin
 tho Romam non semel ire iussum fuisse, & a Roma
 Hierusalem, non tamen continuo necesse est, sicut isti
 aiunt, idcirco diu ab ecclesiâ sua abfuisse, & si diu ab
 fuisset, tamẽ existimandum quoque esset, ob magnam
 ecclesiæ vtilitatem abfuisse, sed bene habet, quod ex
 plum absentia diuturnæ in Timotheo Pauli discipu
 lo habemus in scriptura sancta clare perscriptum.
 Legimus, enim Paulum, cû Epheso digressus, iterum
 in Macedoniam, eiusque regiones iret, Timotheum,
 vt remaneret Ephesi, rogasse recusantem principio
 onus, cuius recusationis fortassè memor apostolus scri
 psit ad eum in priorî epistola, qui episcopatum deside
 rat, bonum opus desiderare, deinde Timotheum pro
 fectum ex Macedonia Ephesum, iam factum Episcopum
 resedisse ibi toto eò tempore, quod Paulus consum
 psit in peragranda cuncta Macedonia exhortans omnes
 multo sermone, vt Lucas ait, & item toto eo tempore,
 quod cõsumpsit in Græcia, vbi moratus est tribus mē
 sibus, cum autem vellet iam Paulus proficisci ex Græ
 cia in Syriam, & Iudæam non directe, sed per Macædo
 niam propter insidias Iudeorum, venisse Timotheum
 in Græciam paucorû dierum nauigatione, vt Paulum

cum aliis fratribus, quos Lucas narrat, deduceret, atque comitaretur vsque ad Asiam, vt idem Lucas meminit. Venisse autem tunc Corinthum Timotheum, perspici potest ex epistola ad Romanos, quam tunc Paulus Corinthi scripsit, cum proficisci vellet Hierusalem, in ea enim ait. salutem vos Timotheus adiutor meus, rursus scriptam fuisse hanc epistolam Corinthi, perspicui quoque potest ex eo, quod ait, salutem vos Gaius hospes meus, hunc vero Corinthum fuisse, constat ex priori epistola ad Corinth. c. i. item Rom. 15. nunc (inquit) proficiscar Hierusalem ministrans sanctis, probauerunt enim Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere, de qua quidem collecta meminit in priorum epistola ad Cor. 16. Cum ergo Paulus & comites Troadem, quæ est in Asia, inde Miletum paucis diebus peruenissent, a Mileto Paulus mittens Ephesum, vt Lucas narrat, vocauit presbyteros ecclesiæ, qui cum venissent, habito sermone, quo eis curam studiumque muneris pastoralis accuratissime commendauit, dimisit eos, reuersum vero fuisse cum presbyteris istis ipsorum episcopum Timotheum, neque perrexisse Hierosolymam cum Paulo, non puto esse dubitandum, primum, quia Lucas testatur Sosipatrum, Aristarchum, Secundum, Gaium, ac Timotheum comitatos fuisse Paulum vsque ad Asiam, ex Asia vero Asianos Tytichum, & Trophimum, deinde quia nullius horum comitum amplius meminit Lucas in tota illa peregrinatione a Mileto vsque Hierusalem, neque postea in reditu Romam, præterquam Trophimi Ephesii, qui cum Paulo peruenit Hierosolymam, vt est in actis. c. 21. & Aristarchi, de quo Lucas describens nauigationem Pauli in Italiam, cum Romam uinctus adducebatur, ascendentes (inquit) nauem Adrumentinam, nauigaturi circa Asiæ loca soluimus, existente nobis cum Aristarcho Macedone Thessalonicensi, quasi alii non ad-

essent, is autem Aristarchus cum prius comitatus esset apostolum vsque ad Asiam, postea tamen ad eundem reuersus est, verisimilius itaque est Timotheum a Mileto rediisse Ephesum cum presbyteris, ibique non paruo tempore resedisse, quousque audiuit Paulum perductum esse Romam uinctum, tunc autem accurrisse continuo Romam, vt eum uiferet, eidemque in uinculis ministraret, quod exemplum pietatis Timothei in doctorem, & magistrum ecclesiarum Paulum plurimum ualebat ad edificandum in charitate cum ceteros omnes, tum ipsos Ephesios, quorum erat episcopus Timotheus. Romæ uero fuit Timotheus paucis diebus, quantum ex epistola ad Philippenses, quam apostolus eo tempore scripsit coniectare licet. Spero (inquit) in domino Iesu Timotheum me cito mittere ad vos, & Paulo post iterum, hunc igitur spero me mittere ad vos mox, vt uidero, quæ circa me sunt ex ipsa, scilicet, hora. Metuerat enim statim vt perductus est Romam, ne secum perus ageretur, uerum cum non ita eueniret, quin potius cum omni fiducia, & sine prohibitione, vt Lucas narrat, docere illi liceret, uideretque omnia sibi quietata, & pacata, Verisimile est statim Timotheum remississe Ephesum, cui etiam illud iussit, vt transiret in Macedoniam Philippos gratia uisitandi fratres. Quibus breui uisitatis, reuersus Ephesum diu fortasse ibi resedit, quousque instante martyrio Pauli, ab eodem est iterum Romam accersitus, vt perspici potest ex epistola. 2. ad Timotheum, ego (inquit) iam delibor, & tempus meæ resolutionis instat, & paulo post festina ad me venire cito, & rursus paulo infra, festina ante hiemem venire, vt iam satis uerisimile sit fuisse eam hiemem extremam, quam cõsecuta fuerit cædes Pauli proxima æstate, scilicet. III. Calen. Iulii, pertulisse etiam epistolam Pauli ad Hebræos Hierosolymam, iussumque esse cecleriter redire ex eadem epistola cognouimus, vtrum ue-

ro rursus Paulus eo comite Hebræos inuiferit, vt propositum sibi esse in ea epistola scribit, non est certum, neque necesse, & vt ita factum sit, rursus non est necesse, ideo diu abfuisse, potuit enim comitari & deducere Paulum Iudæam vsque, & statim reuerti Ephesum. Hæc idcirco tam copiose, & prolixè attuli, vt ostendem non conuinci ab istis exemplum absentia diuturnæ in Timotheo, imo fortasse neque mensium multorum, si quis his omnibus notatis, & animaduersis, attente secū rationē ineat, deinde illius absentia præsentia fuisse potius, cū tanta pietate, & utilitate, atq. edificatione in charitate plena esset, cū qua non video, quid habeat cōmune absentia nostrorū omniū episcoporū, vt cū illa cōparari debeat. Veniamus iā ad euangelicā illā parabolā de bono pastore, cuius vocē oues audiūt, & ipse oues proprias vocat nominatim, & educit eas, & cū oues proprias emisit, ante eas vadit, & oues illū sequūtur, quia sciunt vocē eius, &c. Hanc parabolā aiunt isti pertinere ad Christū, quo nihil verius, ille. n. princeps pastorū Iesus depingitur, atque exprimitur in ea, quod vero iidē addunt, nostris pastoribus admonitionem tantum esse in hac parabola, non intelligo quid hic appellent admonitionem, nisi fortasse hoc volunt, scilicet consilium esse nostris, vt tales sint, ita vt si tales extiterint, benefaciant, imo optime, sin autem non tales, non peccēt in legem diuinam, quæ hoc non præcipiat, tametsi peccent aliquādo, quia faciunt, quod non expediat, esto, liceat, sicut scriptū est, omnia mihi licent, sed non omnia expediunt, quod magnus Basilus in iis ait esse tenendum, quæ non sunt in sancta scriptura prohibita. Verum videamus vtrum huiusmodi admonitio pastorum sit in hac parabola, & in reliqua scriptura sancta, an magis præceptum. Sane cum præceptum sit Dei, vt cui præcepit pascere, is bonus pastor sit, si quidem omnibus præcepit, vt perfecti sint, dubi-

tari non potest, quin in præceptum incidant, quæ bonum pastorem constituunt, qualia sunt, quæ in hac parabola, & in cæteris locis scripturæ sanctæ de pastoribus continentur, hoc autem multos fallere solet alioqui doctos, quod literam ab spiritu non semper distinguunt, quæ tamen distinguenda sunt non solum in veteri Testamento, sed aliquanto etiam in nouo, vt docet multis exemplis magnus Athanasius Alexandrinus in libro de Communi energia, siue operatione Trinitatis, tametsi enim ad solum Christum perfecte & absolute pertineat hæc parabola de bono pastore, qui est verus mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus nostræ salutis auctor, ipse enim vere cognoscit oues suas, & vere vocat eas nominatim, qui solus omnia nouit, antequam sint, & vocat ea, quæ non sunt, tanquā ea quæ sunt, ipse solus vere posuit animam suam pro ouibus suis, qui morte sua alioqui morti non obnoxius, suos a morte liberauit æterna. Cæterum hæc, aliaque huiusmodi, quæ vere, perfecte, & proprie in Christum competunt, nō faciunt, quin hæc eadē parabola ad alios quoq. bonos pastores pertineat inchoate & imperfecte, quantum scilicet ferre potest infirmitas hominis, atque ita præceptum continere possit, vt quidem continet. sicuti etiam in veteri Testamento, quod quidem frequentissimū est, perfectus sensus non tollit imperfectū, verbi gratia, quod secundū sensum perfectū accipiendum sit de Christi resurrectione, quod Dauid dixit, Nō dabis sanctum tuum videre corruptionē vt beatus Petrus nobis interpretatus est, hoc non tollit, quin idem secundum sensum imperfectum hyperbolice, verbis rem ipsam superatibus accipiendum quoque sit de populo Hebræo ex captiuitate ceu ex quodā sepulchro, ac morte cum mirabili sospitate, ac lætitia reuocato, & liberato, vt cum ex consequentia ipsius Psal. perspicitur, tum ex simili figura, qua Ezech.

vſus eſt eandem liberationem prædicens, ecce ego, in-
 quit aperiſtum tumulos veſtros, & educam vos de ſe-
 pulchris veſtris, & inducam vos in terram Irael. Si-
 militer illud Zachariæ, Ecce rex tuus venit tibi mæn-
 ſuetus, & ſedens ſuper aſinum, & pullum filium ſubiug-
 galis, quod ſecundum ſenſum perfectum intelligendum
 ſit, vt euangelista interpretatus eſt de Chriſto, ita vt
 res ipſa nõ ſit minor verbis, ſed potius maior, non tol-
 lit, quin ſecundum ſenſum imperfectum, & extrinſe-
 cus apparentem verũ quoque ſit de Zorobabele rege
 ex ſemine Dauid, cuius humilis & abiectus reditus ſu-
 perlate, & hyperbolice a propheta designatus eſt. Simi-
 le eſt illud Oſeę, ex Aegypto vocaui filiũ meum, quod
 primo & perfecte accipiendum eſt, vt euangelista in-
 terpretatus eſt, de puero Ieſu, deinde vero ſecundo lo-
 co ſecundum conſequentiam hiftoriæ extrinſecus de-
 ſcriptæ, de populo Iſrael ex Aegypto reducto, quem ſæ-
 pe vocat ſcriptura filium, & filios, vt. 70. verterunt.
 ac niſi ita in his, aliisque huiusmodi locis infinitis dice-
 re malimus, neceſſe eſt dicamus, repente mutari propo-
 ſitum in prophetiis, & reliqua ſcriptura ſancta ſine vl-
 la conſequentiæ ratione, quod valde absurdum nõ nul-
 lis veterum viſum eſt, ex quibus, Theodorus Antio-
 chenus, in Commentariis Prophetarum minorum
 „ cum alias, tum copioſius in Zacharia, Lex (inquit)
 „ vmbram quandam continebat eorum omnium quæ
 „ ad Chriſtum pertinebant, multa igitur eorum, quæ
 „ admirabiliter & præter omnium opinionem ſiue in vi-
 „ ris ad res aliquas gerendas electis facta ſunt, ſcriptura
 „ narrat hyperbolice, verbis ipſis primo aspectu, & vt in
 „ promptu ſunt, veritate carentibus in ipſis illis rebus, in
 „ quibus exponendis poſita ſunt, at tunc deprehendun-
 „ tur eſſe vera cum comparantur cum ipſo Chriſto, ad
 „ eumque referuntur, quicum in omnibus vmbram
 „ legis ceſſare fecerit, veritatemque introduxerit, meri-

„ to etiam huiusmodi veritatem demonſtrauit, hætenus
 ille, & plura quæ ſequuntur ad hanc rem pertinentia,
 quæ alias commodiore loco pertractabimus, ergo vt
 ad rem redeam. ad hunc modum ſecundum conſuetudi-
 nem veteris ſcripturæ, hæc parabola boni paſtoris per-
 fecte competit in Chriſtum. tamen ſi nihil obſtat, quo-
 minus in alios paſtores competit imperfecte, vt facile
 perſpici poteſt ex ipſa euangelicæ parabolæ conſequen-
 tia, cum enim dixiſſet, paſtor bonus animam ſuam dat
 pro ouibus, ſtatim ſubiunxit, mercenarius autem, &
 qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt
 lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, quod qui-
 dem cum de malis paſtoribus dicatur, ſicut illud quod
 dixit ibidem, alienum non ſequuntur, quis dubitare
 poteſt, quin hos oppoſuerit bonis paſtoribus, de qui-
 bus dixiſſet illud, bonus paſtor &cæt. tamen ſi id vere,
 & perfecte non niſi Chriſto Domino noſtro conue-
 niat. Quemadmodum quaſo, doceret dominus, quales
 eſſent mali paſtores, quales vero boni, præteriret? Præ-
 terea pertinere quoque ad noſtros paſtores hanc para-
 bolam, continerique in ea præceptum, videtur mihi de-
 claraſſe beatus Petrus prima ſua epiſt. quod enim domi-
 „ nus dixit de bono paſtore, quod proprias oues vocet
 „ nominatim, & educat eas, & cum proprias oues emiſe-
 „ rit, ante eas vadat, & oues illum ſequantur, quia ſciãt
 „ vocem eius &cæt, Petrus hunc locum imitatus ſcri-
 „ pſit ad paſtores omnes, paſcite, qui in vobis eſt, gre-
 „ gem Dei, forma gregis facti, hoc enim eſt vadere ante
 „ oues, & oues illum ſequi, ſcilicet fieri exemplum, ac
 „ formam fidei, & operum ouibus, vt ſic credant, & vi-
 „ uant, quomodo doceat, & viuat eorum paſtor bonus.
 ex Apoſtolo etiam intelligi poteſt pertinere hanc para-
 bolam non ſolum ad Chriſtum, ſed ad alios quoque pa-
 ſtores bonos, hortans enim præſbyteros paſtores, ſiue
 parochos Ephesios ad boni paſtoris, qui in hac parabo

la descriptus est, imitationem, & exemplum, videtur mihi ex ea parabola sententias sumpsisse, mutuatusque esse, itaque quod est in parabola proprias oues vocare nominatim, & educere eas, & ante eas vadere, tanquam ea omnia vigilantiam, & presentiam spiritus, summamque attentionem in pascendo grege verbo Dei, & exemplo vitæ designarent, sic dixit Apostolus, attendite vobis, & vniuerso gregi. & paulo post, hæc omnia vno verbo complexus, quamobrem (inquit) vigilate & cetera. quia vero pastoribus est attendendum, & vigilandum gregi exemplo eius, qui animam suam posuit pro ouibus suis, ita vt sicut idem apostolus dixit de se, nihil subterfugiant, quominus annuncient omne consilium dei, neque faciant animas sibi pretiosas, dummodo consumant ministerium, quod acceperunt a domino Iesu, idcirco pastores dixit esse positos ab spiritu sancto, vt regerent ecclesiam dei, quam acquisiuit sanguine suo, perinde atque diceret, vt pascere oues, pro quibus dominus posuit animam suam, hoc enim est posuisse animam pro ouibus suis, quod est acquisiuisse ecclesiam sanguine suo, & hoc est scire, siue cognoscere vocem pastoris, audire scilicet, annunciarum ab eo omne consilium dei, vt dixit Apostolus. Quod autem sequitur, alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum, Paulus quoque in eodem ad Ephesios sermone interpretatus esse videtur, exponens enim, cur bonis pastoribus esset vigilandum quia (inquit) intrabunt post discessionem meam lupi graues in vos, non parcentes gregi, quod amplius ad huc declarans subiungit, & ex vobis ipsis exurgent viriloquentes peruersa: vt abducant discipulos post se, iam hic verbis etiam parabola: usus est Apostolus, intrabunt (inquit) scilicet non per ostium, sed aliunde, tanquam fures, & latrones, per ostium intrant ad oues ii pastores, qui doctrinam Christi ceu pastum spiritua-

lem

lem tradunt, & omne consilium dei annunciant, qui autem hoc non faciunt, sed potius peruersa loquuntur, vt Paulus dixit, hi sunt alieni, & vocem eorum non nouerunt, & ab eis fugiunt, aut certe fugere debent, & nullo modo sequi, quamuis illi magnopere studeant, vt alii sequantur, quod apostolus dixit, intrabunt, vt abducant discipulos post se. Ostium itaque vocauit hic scriptura Christum, & eius euangelium, sicut etiam annotauit Photius in scholiis euangelii Ioannis. Ergo sicut Petrus apud Lucam dominum rogauit, inquit, ad nos dicis hæc parabolam, an ad omnes? Sic nos rogemus dominum dicentes, ad te dicis hanc parabolam, an ad omnes pastores? profecto si scripturas scrutemur, & conferamus, intelligemus responderi nobis, parabolam dici ad omnes pastores, etenim si non ad alium quam ad Christum, hæc parabola pertineat, vt isti volunt, neque illud quidem, quod postea sequitur in eadem parabola, scilicet, erit vnum ouile, & vnus pastor, de alio, quam de Christo licebit accipere. At de ecclesia etiam catholica, & vno pontifice accipiunt cum alii veteres patres, tum Cyprianus in libro de simplicitate praelatorum, & in conciliis non paucis sic accipitur. Sed videamus quale sit, quod isti fatentur, actus quidem illos vocandi oues nominatim, & eundi ante eas presentiam pastoris desiderare, sed quid hoc aiunt, vt intelligatur, præceptum factum episcopis adeo immediate, & ad probandum, quod illa munia per alium fieri nequeat? profecto ne intelligere possent, in causa fuit, quod secundum literam extrinsecus apparentem de presentia corporis omnino accipiendum esse putarunt. nos vero aliter obseruauimus, & didicimus tum ex sanctis scripturis, tum ex earum magnis interpretibus. Docet enim Athanasius multis exemplis, vt iterum dixi, in libro de communi operatione trinitatis illud apostoli literam occidere, spiritum autem viuificare,

ff

non solum in vetere testamento verum esse, locumque habere, sed interdum in nouo, vt illud (inquit Athan) qui dixerit verbum aduersus filium hominis, remittetur ei, si secundum litteram intelligamus, & vt ille loquitur καὶ ἔγὼ videbitur secum pugnare, qui alio in loco dixit, qui me negauerit coram hominibus, negabo ego eum &c. & si illud, omne peccatū, & blasphemia remittitur hominibus similiter intelligatur, quæ admodum cohærebit illud, qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis, & illud, contumeliosi non possidebunt regnum, multa alia huiusmodi exempla affert, quæ prætereo, ne longior sim, quibus vt dixi, docet, distinguendam esse interdum in nouo testamento litteram ab spiritu ad percipiendum sensum scripturæ. quod quidem qui nō fecerunt, iidem, quæ sunt alioqui euangelica præcepta, consilia, siue admonitiones esse dixerunt, vt illud, si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe ei & alteram, quod quidem quomodo, & quatenus accipiendum est, sic, & eatenus præceptum est ad vitam communem Christianorum pertinens, quodque seruare necesse est, non minus quam superiora euangelii præcepta de non irascendo, de reconciliatione gratiæ faciendâ, de non concupiscendâ vxore aliena, de non soluendo coniugio &c. Non enim secundum sensum primo aspectu, & extrinsecus apperentem, sed secundum sensum latentem, id est, secundum spiritum, non secundum litteram accipiendū est, perinde atque diceretur, si quis te percusserit &c. tantum absit, vt vicem tuam vlciscaris, vt alteram potius maxillam præbeas feriendam, denique præcipitur, quiduis potius perpeti, quam vlcisci, dantes locum iræ, scriptum est enim mihi vindictam, & ego retribuam. præceptum vero esse hoc, sensit quoque Epiphanius Cyprius. scribens aduersus Ptolemæum hæreticum, quod ex eo tempore ait præceptum esse seruari, ex

quo iussit lex Dei, oculum pro oculo, eadem enim vim esse vtriusque mandati, & eodem vtrumque spectare. Simile est illud, qui vult tecū in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, καὶ τὸ διὰ τοῦτο enim, id est, secundum spiritum præcipit omnia contemnere, & relinquere præ charitate seruanda, quod quidem ad vitam communem Christianorum pertinere, non tantum ad perfectionem apostolicam, sicuti nonnulli falso dicunt, negabit nemo, qui recte quæ dico, consideret, præsertim cum sine charitate, neque cæteræ virtutes quicquam valeant. huiusmodi ergo est, quod nunc præceptum esse dicimus episcopis, imo pastoribus spiritualibus, vocare oues proprias nominatim, & educere eas, & cum emisserit, ire ante eas. Hæc enim sunt propria bonorum pastorum, quales vult, & præcipit esse pastores omnes dominus, perinde atque præciperet, nihil prætermittere, quod necessariū sit ad cognoscendum γνῶσκάσ id est, euidenter, & vt ita dicam notorie animas sui gregis, vt Salomon cognoscere præcepit, hoc enim credo significat, vocare nominatim oues suas, & perinde atque præciperet, vt Petrus pastoribus præcepit, formam, & exemplum gregis fieri in doctrina scilicet & vita, ad quod tametsi præsentia pastoris per necessaria esse videatur, tamen cum huiusmodi præsentia ad vtilitatem gregis dirigatur, cum magnopere interest ecclésiæ ad tēpus breue, aut non ita multum abesse, non quidem dicendum est, solutum esse tunc episcopum, aut pastorem lege diuina de præsentia eius in diocese, aut ouili suo, sed potius non esse interpretandam, atque censendam absentiam huiusmodi, sed præsentiam, neque enim accipiendum est secundum litteram, sed secundum spiritum hoc præceptum de residentia perpetua, sicuti neque præceptum de semper orando. Sicut Timotheus Ephesii episcopus dum ad tempus breue abfuit a diocese sua

paucis quidem mensibus, quantum ex scriptura coniectare licet, in Macedonia, Græcia, Iudæa & Italia, non est inquam interpretandus abfuisse, cuius absentia tam utilis erat & necessaria ad ædificationem suæ, & aliarum ecclesiarum, sed præsens fuisse, neque violasse præceptum dei de assidua, atque adeo perpetua pastoris residentia, sed seruasse potius, ubicunque enim ab episcopo per absentiam suam ecclesiæ suæ utilitas agitur, ibi quodammodo ecclesia eius adest. Idem dico, cum necesse est ad aliarum ecclesiarum utilitatem non ita diu abesse, ea enim absentia utilis quoque est ecclesiæ propriæ, dum sic etiam forma gregis sui factus episcopus, in charitate eum ædificat, docens iuuandos esse omnes fratres in Christo, & omnes ecclesias in vnum vno spiritu copulari. Si vero absentia ad tempus non ædificat ecclesiam, aut ecclesias, nam perpetua nulla potest esse ecclesiæ propriæ incommoda, & pestifera, tunc omnino abesse censendus est. Quæ quidem absentia scelerata est, & perfidiæ plena, atque charitatis inimica. Cum enim pastor non iam suus sit, ut Athanasius ad Dracontium monachum recusantem episcopatum, ad quem fuerat electus, scripsit, sed ecclesiæ suæ, cui electus, & præpositus est, non sibi iam, neque commodis, rationibusque suis, neque voluptati, atque gratiæ hominum viuendum, seruiendumque est. nemo autem qui non velit sibi viuere, & sua querere, & non quæ Iesu Christi, aut hominibus placere, perpetuo, vel diu aberit, neque enim licet, nisi quantum requirere videatur ecclesiæ, aut ecclesiarum ædificatio in charitate, quod non potest esse longum, & diuturnum. Quamobrem quod statim ut episcopi in collegium Cardinalium cooptantur, eorum episcopatus vacent, clarissimum est, ut mihi quidem videtur, ecclesiæ Romanæ præiudicium, ut munus, partesque eorum esse omni tempore præsto adesse pontifici tanquam confi-

liarios, adiutoresque eius in onere sustinendo, ita non posse commissas esse eis alias ecclesias, neque posse eos solui lege residendi, quia diuina sit, quare eligendos esse alios episcopos, qui ecclesiis illis, & populis præsent, sintque ipsis populi commissi, interim vero commendari istis cardinalibus ecclesias huiusmodi, dum proprius cuiusque episcopus eligitur. verum itaque est, aut non teneri residere cardinales, si non amplius habeant dioceses commissas sibi tanquam episcopis earum, sed si ita est, rursus verum est, neque ipsos intrare ad ouilia, neque sinere alios intrare, dum ista sua commendatione occupatos tenent episcopatus, tutoresque potius esse ecclesiarum & populorum tanquam viduarum, vel pupillorum, quam pastores, sponsores, atque patres. aut si sibi ut episcopis adhuc commissas habent dioceses, & ecclesias, quod magis credo, siquidem nullam renunciationem fecerunt, illa enim commendatione hoc illis cauetur solum, quod ipsi etiam Cardinales confitentur, ne propter absentiam Cardinalis vacet episcopatus, cum ad tempus canonibus præscriptum, ac definitum non adfuerit in ecclesia, siue diocese sua, si inquam commissas habent ecclesias tanquam earum episcopi, profecto residere tenentur, aut certe facere meo iudicio, quod in Lateranensi concilio Innocentio tertio Pont. decretum est de dignitate, cui est annexa parochia, ut scilicet seruiat in maiore ecclesia, & in parochia vicarium ponat perpetuum, & canonice institutum, quod nihil aliud est, quam conferre parochiam, perpetuitas enim & canonica institutio non tam substituti, ut loquuntur, quam proprii parochi conditiones sunt, idem arbitror Cardinales facere debere, seruire inquam semper in ecclesia catholica Romana, & renunciatione facta, atque assentiente populo substituere pastores perpetuos, auctoritate pontificis cano-

nice electos, & institutos, id est, proprios episcopos, non autem ponere istos, quos appellant suffraganeos, quibus ad actus quosdam episcopales, vt ordinandi, & confirmandi tantum vtuntur, sed proprios inquam, quos populi sciant, ministerium a Christo per pontificem suum accepisse, positosque esse ab spiritu sancto episcopos in ipsis ecclesiis, quas regunt, vt sic populi magis sint obedientes, & eorū episcopus vigilantior, & attentior, tanquam rationem redditurus de suscepta sibi a Deo cura animarum. Ergo vt ad parabolam, euangelicam boni pastoris redeam, satis me demonstrasse arbitror, in ea non admonitionem solum, vt isti volunt, sed præceptum nostris pastoribus contineri. id quod Augustinus etiā sensit in libro de Pastoribus, quæ sunt (inquit) oues meæ, audiunt vocem meam, & sequuntur me, hic inuenio omnes pastores bonos in vno, nō enim boni pastores defunt, sed in vno sunt, multi sunt qui diuisi sunt, hic vnus prædicatur, quia vnitas commendatur. Neque enim ideo vere tacetur pastores, & dicitur pastor, quia non inuenit Dominus cui commendaret oues suas, tunc autem ideo commendauit, quia Petrum inuenit. Imo vero & in ipso Petro vnitatem commendauit &c. An non significat plane pertinere hanc parabolam ad omnes bonos pastores? Commendarique in ea illis oues, sicuti commendatæ sunt Petro? Petro autem quomodo commendatæ sunt, nisi præcepto pascendi illas in charitate? amas me, inquit, pascite oues meas. Non dissimile est, quod iidem aiunt, pascite, qui in vobis est, gregem, hoc vel nomen, vel præceptum esse, non quidem Dei, sed Petri apostoli, verum hoc quod Petrus præcepit, præceptū Dei esse, vt vel ex iis, quæ supra dixi, perspici potest, omnino debet concedere, qui concedat, præceptum Dei esse, quod eidem Petro dictum est, pascite oues meas. His enim verbis, vt vnum vniuersæ ecclesiæ pa-

storem constituit, ita vis illorum verborum ad ceteros omnes manauit, quibus idem Dominus de hac Petri gratia, id est, de hac pastoralis potestate dedit. Sic docent sentire, & loqui sancta scriptura vetus, & noua. Sic ecclesia sancta Dei, & eius formulæ rituales, sic sancti doctores cum alii, tum Athanasius, Basilius, Ambrosius, Hieronymus, Damasus, Augustinus, Leo magnus, ipse enim Dominus est, qui, vt est in præfatione consecrationis episcopi, constituit episcopum super familiam suam, ipse tribuit cathedram episcopalem, ipse est, qui auctoritatem pascendi dat, ipse inquam est, qui præcipit pascere, & attendere gregi. Quare cum ait Paulus præcipiens, attendite vobis, & vniuerso gregi, profecto dicere potuisset, vt alias loqui solet, præcipio nō ego, sed Dominus, attendite gregi, siue pascite. imo vt hoc significaret, statim subiunxit, in quo vos posuit spiritus sanctus episcopos regere ecclesiam Dei, perinde atque diceret, non hoc meum præceptum est, quod attendere, & pascere præcipio, sed eius, qui fecit vos episcopos, & pastores, id est spiritus sancti. Quare desinant obsecro, imo obtestor no uitates verborum, qui aiunt præcepta Pauli non esse præcepta Christi, desinant scandalū fratribus, pro quibus Christus mortuus est, creare. Qui enim audit, non esse præceptum Dei, quod Petrus & Paulus pastoribus præceperunt, pascere scilicet, & attendere gregi, facilius ministerii sui opus negliget tametsi cum magno suo, & ouium suarum malo. Quod quidem vt periuaderent, non esse scilicet hoc Dei præceptum, falsa inductione similibus vsi sunt, idem in omnibus peccantes, id est, falso ponentes præcepta Pauli non esse Christi præcepta, verum hoc dicunt, ne secum discreparēt, aut sui dissimiles essent, qui prius dixerant, legem Moisis non esse proprie legem Dei. Hæc ergo similiter volunt non esse Dei præcepta, mulierem non orare, aut prophetare, nisi velato

capite, episcopum esse vnius vxoris virum, & Deo militantem non implicare se negotiis secularibus, & alia (inquiunt) non pauca, quæ apud solum Paulum leguntur, qualia fortasse dicerent, episcopum non neophytum, nemini cito manus imposueris, fidelem coniugem ab infideli non discedere, si consentiat habitare cum eo. Item mulierem non docere in ecclesia, in quæ quidem competat illud, dico ego, non Dominus. quæ tamen qui dicit præcepta Dei non esse, fratribus ponit offendiculum, Sunt enim præcepta Dei, non minus quam ea, quæ leguntur in euangeliis, hoc interest, quod illa prius præcepta sunt a Domino, quando scilicet Dominus docebat, & euangelizabat, hæc vero ab eodem Domino per apostolum spiritus Dei habentem, quod ex ipso Paulo intelligi potest. quia enim in euangelio erat lex de matrimonio non dirimendo, repetens Apostolus magisque explicans legem illam, iis (inquit) qui matrimonio sunt iuncti, præcipio non ego, sed Dominus, perinde atque diceret, non ego primus, sed Dominus ante in euangelio suo, quod prædicauit. quia vero de coniugio duorum, quorum alter esset fidelis, alter vero infidelis, nihil erat in euangelio, ipse de eo sanciens, nam cæteris (inquit) ego dico, non Dominus, non inquam Dominus per se, sed per me hoc docuit, sic enim Chrysoström in libro de Virginitate capite decimo tertio, interpretatus est perinde, atque diceret Paulus, ut Theodoritus, Chrysoströmum secutus, in Comment. epistolarum Pauli ait, non inuenio hanc legem in euangelio Christi, sed eam nunc statuo, neque me hoc docuit Dominus ἐγγράφως sed ἀγράφως, id est, non didici hoc ex scriptura, aut prædicatione Domini, sed sine scripto, & voce, spiritu docete, quod vero leges Pauli, Christi leges sint, norunt, inquit idem Theodoritus, qui in literis sanctis eruditus sunt, ipsius enim est illud, an experimentum quæritis eius qui
in me

in me loquitur Christus? & illud, dico ego per gratiam Dei, quæ data est mihi, & alias, Si quis propheta est, aut spiritualis, cognoscat quæ scribo, quoniam Domini mandata sunt, item illud, existimo autem, quod & ego spiritum Dei habeam. neque vero qui hoc dicit, idem, ut isti fingunt, iura ecclesiastica, & ciuilia, iura diuina esse dicat, quia eius afflatu condita, & scripta sint, qui dixit per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt, cum nemo eiusmodi legislatorum certus esset, dum iura ciuilia describeret, quod spiritus sanctus per eum loqueretur, ut erat Paulus apostolus, neque quisquam eorum tunc dicere potuit, in se loqui Christum. Non itaque ponenda est in sanctis scripturis connexio ex præceptis Dei, & ex præceptis hominum separatim, ut faciebat Ptolemæus hereticus, sed omnia præcepta scripturæ sunt, & dici debent Dei præcepta. scio aliquem ex veteribus idem sensisse, quod modo isti, Originem dico. & alios eum secutos, quos, ne sim longior, non commemoro. sed quæ male veteres docuerunt, aut corrigenda sunt, aut certe non imitanda in iis præsertim, quorum opera cum auctoribus damnata sunt. hæc itaque sunt
- Origenis, ex Homilia Num. 16. & per Moysen quidem
- multa locutus est deus, aliqua tamen & Moyses propria auctoritate mandauit, quod Dominus in euangelio euidentissima ratione secernit, cum dicit de repudio mulieris interrogatus, quia ad duritiam cordis vestri scripsit vobis hæc Moyses, ab initio autem non fuit sic. & paulo post, vides ergo & hic deum quidem non præcepisse, neque voluisse fieri diuortium, Moysen vero propter duritiam cordis Iudeorum scripsisse, dandum esse repudium. ostendit hæc & Paulus in literis suis, cum dicit de quibusdam, Dominus dicit, non ego, & de aliis, hæc autem ego dico, non Dominus, & iterum in aliis, præceptum Domini non habeo, consilium autem do. & iterum, quæ loquor, non loquor secundum

„ Deum, vnde similiter etiam in ceteris prophetis aliqua
 „ quidem Dominus locutus est, & non prophete, alia ve-
 „ ro prophete, & non Dominus. hęc Origenes. Equidem
 vt hic in origine Ptolemęum agnosco, sic in istis. qui
 sic sentiunt, originem. hoc ergo fefellit eos, qui falso
 putarunt non esse hęc, de quibus loquimur, & alia
 huiusmodi p̄cepta dei, primum, quia non intelligen-
 bant, quid sibi vellet, neque quorsum illud, dico ego,
 non Dominus, & illud, p̄cipio nō ego, sed Dominus,
 & rursus, p̄cepta mea tenetis, & similia. Deinde,
 quia videbantur huiusmodi p̄cepta solui posse, & so-
 lere aliquando, vt in neophytis episcopis. & non vnus
 vxoris viris, & in ceteris similiter, quod fieri non pos-
 se putabant, si diuina essent. verum cum spiritualia sint
 p̄cepta, spiritualiter sunt examinanda, & sic exami-
 nat, qui spiritalis est, ac tunc quidem facile cognoscit
 mandata dei esse, non itaque iudicandum est secundū
 faciem, vtum sit hic vnus vxoris vir, sed spiritualiter
 iudicandum, vtum talis, ac tam rare pudicitę, tanta-
 que spes futurę continentię, tantusque fructus ex eo
 expectetur, tantaque sit eius viri necessitas in ecclesia
 sancta dei, vt merito haberi possit, & debeat vnus vxo-
 ris vir, quamuis semel, & iterum vxorem duxerit, aut
 semel viduam, aut non virginem, vt meretricem, vel
 violatam. propter p̄iudicium enim futurę inconti-
 nentię prohibetur sacerdotio, & episcopatu, qui non
 est vnus vxoris vir, vt ex Innocentii primi epist. 2. in-
 telligi potest. Is enim sciens, ne clericus viduam duc-
 „ cat, ne (inquit) hoc p̄iudicio impeditus, non possit ad
 „ sacerdotium peruenire. Idem in eadem epistola, vnus
 „ (inquit) vxoris virum dixit non permanentem in con-
 „ cupiscentia generandi, sed propter futuram continen-
 „ tiam, quare in his cum causa p̄cepti non inest, neque
 vis p̄cepti remanet. Similiter dicatur in p̄cepto de
 arcendo neophyto ab episcopatu, quod quidem p̄cept-

ptum dei est, licet in solo Paulo legatur, cum enim neo-
 phytus prohibeatur, ne sicut Apostolus ait, in super-
 biam elatus, in iudiciū incidat diaboli, id est, ne damne-
 tur, propter quod damnatus est diabolus, ne inquam,
 honorem datum in occasione superbię vertat, sicut
 diabolus ex honore dato occasione superbię arripuit,
 cum inquam, propter suspicionem futurę elationis
 neophytus prohibeatur, profecto in quo nimia mode-
 stia inspectata fuerit, is haberi potest non neophytus, ne-
 que in eo, si episcopus, aut sacerdos fiat, p̄cepti viola-
 tio fuerit, sed interpretatio potius, vt in iuramento-
 rum, & votorum dispensatione, quę alioqui lege diui-
 na sancita sunt. est ergo hoc Christi p̄ceptum a Pau-
 lo primo p̄dicatum & scriptum de neophyto arcen-
 do, non secundum literam, sed secundum spiritum di-
 iudicandum, & custodiendum, vt custoditum, serua-
 tumque est in episcopis neophytis sanctissimis viris
 Thalassio Cęsariensi, Nectario, Tarasio, Nicephoro
 eius successore, Flauiano, Ambrosio, & primo o-
 mnium Cypriano, vt Pontius eius diaconus, idemque
 martyr in vita eius scribit. neque vero solum neophy-
 ti sunt, qui dudum conuersi sunt, sed etiam qui ex or-
 dine laicorum repente in ordinem sacerdotum, aut
 episcoporum ascendunt, vt Nicolaus primus in Epist.
 ad Michaëlem Imperatorem interpretatus est, quod
 etiam Apostolus prohibuit primus, cum p̄cepit, ne
 mini cito manus imponere, Vim itaque huius p̄cepti
 de neophytis arcendis & similibus, quę pendēt ex cau-
 sa, explicauit Ambrosius epist. 82. Is enim loquens de
 „ sua ordinatione lib. 10. epist. quam resistebam, inquit,
 „ ne ordinarer, Postremo cum cogerer, tamen ordinatio
 „ nem meam occidentales iudicio probarunt, orientales
 „ vero exemplo, & tamen neophytus prohibetur ordina-
 „ ri, ne superbia extollatur, si dilatio ordinationi defuit,
 „ vis cogentis est. Si nō deest humilitas competens sacer-

dotio, vbi causa non hæret, vitium non imputatur, hætenus ille. Iam vero in alio exemplo, quod addunt isti, nemo militans deo, implicat se negotiis vitæ, sine sæcularibus, dupliciter peccant, primum, quod hoc similiter atque alia, de quibus ante diximus, non præceptum dei, sed Pauli esse aiunt, deinde, quod inter ea numerant, quæ in solo Paulo leguntur, qualia sunt superiora, cum tamen in euangelio Lucae legamus, caute ne grauentur corda vestra crapula, & ebrietate, & cogitationibus sæcularibus, ita .n. vertit, aut legit Leo magnus in serm. 8. de ieiunio decimi mensis, deinde subiungit, quod utique præceptum ad nos specialius pertinere cognoscimus, ne quemquam curis sæcularibus iuueniat implicatum. idem quoque annotarunt Photius, & Occumenius, scilicet esse hoc præceptum presbyteris & episcopis, quæ vero sint huiusmodi negotia sæcularia ecclesiasticis præcepto dei prohibita, vtrum mercatura, & negotiatio, vt Theod. & Chryst. interpretantur, idque, vt existimo, non solum propter distractionem animi, qua abundat omnis negotiatio, sed propter segetem, atque materiam multam peccandi in ea, sicut scriptum est in sapientia Syrach, vix effugiet peccatum mercator, & alias in eadem sapientia, inter emptionem & venditionem exercetur peccatum, vtrum ergo negotia sæcularia mercatura, & negotiatio sint, an etiam tutelæ, & curationes testamentorû, quæ Cypria. lib. 1. epist. 9. clericis interdicta esse dicit, an etiã cum vxore consuetudinem habere & liberis operam dare, an alia quoque similia, hæc inquam, & alia quæ ad huius præcepti interpretationem spiritualem pertinent, non est nunc tractandi locus, neque tempus, illud satis est, quod ad propositum spectat, esse hoc præceptum dei, & Pauli, immo non esse Pauli, vt Paulus loqui solet, ita vt Paulus primus, hoc præceperit, sed dominus prius, ita vt dicere potuerit apostolus, præcipio non ego, sed do-

minus, nemo militans deo implicet se negotiis sæcularibus & cæt. Item quod præceptum est mulieribus de velando capite, præceptum quoque dei est, per Apostolum spiritum dei habentem primo traditum, ac prædicatum, quod quidem eodem spectat, quo muliebris coma, & præceptum de ea non tondenda scilicet ad recordationem subiectionis, vt Gang. Concil. declarauit, si qua (inquit) mulier, vt religiosa habeatur, comam tondeat, quam deus dedit ad recordationem subiectionis, sit anathema, tanquam scilicet præceptum subiectionis quodammodo violaret, quæ Symbolum eius a natura datum, deo ita instituyente, tolleretur. quod si tondeat ob aliam causam honestam, vt valetudinis, aut vt careat curæ & studio capilli curandi, atque vt sit Symbolum, siue signum, quo admoneatur, omnibus renunciaffe voluptatibus, non violabitur tunc hoc dei præceptum. vbi enim causa non hæret, vitium non imputatur, vt Ambrosius dixit de approbatione suæ properatæ ordinationis, cui etiam cito contra præceptum apostoli manus impositæ fuisse videbantur. Similiter præcipit viris Apostolus, quod in eo tantum legitur, & per Apostolum Dominus, ne comam nutriant scilicet propter religionem, sicut Messaliani hæretici faciebant, religio enim comæ non tendendæ Nazoreorum tantum erat in typo Christi venturi, si quidem comam ferebant in capite propter votum, donec veniret impletio eius, verum autem votum, siue optatum mundi erat Christus caput nostrum, quare cum typus transferretur, & venerit veritas, naturæ repugnat, & contentione, atque studio legis agere videbitur, qui propter religionem Dei comam nutriat. ad hunc modum interpretatur Epiphanius scribens contra Messalianos. Ratio vero cur idem Apostolus viris præcipiat aperto capite orare in ecclesia, quo viri, & mulieres cõuenire solent, est recordatio, quod vir est caput mulieris, quod enim supra est, nudum &

patens est, sicuti quod infra, siue subter, tectum est, vt mulieribus præcipit tecto esse capite ad recordationē subiectionis, vtraque enim recordatio plurimum ad cōcordiam valere videbatur, quam symbolis publicis commendari voluit, & præcepit. Tradit idem Epiphanius in eodē loco canonem esse Apostolorum de nō tondenda barba, quem quidem canonem præceptum diuinum idem auctor appellat, causam vero præcepti huius significat fuisse, quia sit barba tota virilis, & viros decens, quæ quidem causa ex iis, quæ sequuntur in canone, colligi potest, statim enim prohibet, meretricio more ornari, vt iam vbi nihil sit molle, neque effœminatum, neque suspicio, aut species mollitiei, ibi non sit vitium tondere barbam, neque vlla præcepti huius existat violatio. ne sim longior, non perse quor cætera huiusmodi præcepta, quæ isti non præcepta Dei, sed Apostolorum admonitiones, aut statuta vt de pascēdo grege a pastoribus suo more appellabunt incidētes in Epiplocem Ptolemæi, quam supra dixi. satis sit annotasse hæc, quæ mandata Domini sunt, & vim habent, quam diu causa mandatorum existit, vbi vero non existit, neque vitium violationis existit, quāuis non seruari videantur, quod quidem istos, vt existimo imprimis fecellit, oportebat autem spiritualiter, omnia diiudicare, & singulorū causas inquirere. Præterea, vt suadeat, non teneri episcopos lege diuina adesse in suis ouilibus, & populis, fingunt, non potuisse per alios prædicare Apostolos, quia eorum (inquiunt) prædicatio pro infidelibus erat ad conuertendum gentes, episcopos vero posse, quia eorum prædicatio pro fidelibus sit, episcopo enim dici, vade, & prædica populo Dei, Equidē (vt alios taceam). Paulum legimus prædicasse quidem vbi non fuerat nominatus Christus ab Hierusalem, in quā, vsque ad Illyricum per circuitum, item prædicasse Romæ, vbi iam Christus prædicatus fuerat prius, quod

ipse testatur, cum ait ad Romanos scribens, desidero videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos, scilicet significat verbum confirmandi, prædicatum fuisse illis ante euangelium, sic. n. de eo in Actis scriptum est, profectus est perambulans Galatiam regionem, & Phrygiam, confirmandus omnes discipulos, scilicet, quibus ante prædicauerat, fuerat inquam prius prædicatum Romanis a beato Petro, vt veteres auctores tradunt, cū alii, tum Leo magnus in sermone de Natali Petri, & Theodoritus in Commentariis epistolæ Pauli testantur. Non ergo Apostolorum prædicatio pro infidelibus tantum erat, vt isti fingunt, neque verum est non potuisse eos aliquando per alios prædicare, cum ipsi non possent esse in pluribus locis. Sic Paulum legimus misisse Timotheum ad Philippenses, vt scilicet eos exhortaretur, & prædicatione sua cōfirmaret. Et si episcopus aliquis nunc ad infideles mitteretur, vt eos per Dei gratiam conuerteret, eorumque pastor esset, non enim dicitur episcopo, vade, prædica populo Dei, vt isti dicunt sed populo tibi cōmisso, an non esset dicenda hæc prædicatio episcopi pro infidelibus? imo vero hic non solum episcopus sed Apostolus, id est, missus, vocari posset, sicut Paulus vocauit Epaphroditum Apostolum Philippensium, hoc est, episcopum, vt Theodor. interpretatur, vel quod verius puto, Apostolum, id est, missum ad eos consolandi & exhortandi gratia. Hippolytus enim martyr in libro, quæ de 70. discipulis Domini scriptum reliquit, fuisse hunc tradit e numero 70. episcopū vero Andricii. Iamquod afferunt Valerium episcopum Hipponensem substituisse Augustinum, idemque fecisse alios sanctos viros, quod quidem non liceret (aiunt) si diuino iure sancta esset episcopi residentia, fatemur fecisse hoc Valeriū ingrauescente ætate, tametsi illud nō recte factum sit, quod Valerio adhuc viuento, & episcopo, cum eo Au-

gustinus federit episcopus contra octauum Nic. Con. Can. quod idem Augustinus per imprudentiam suam, & Valerii, factum esse confessus est, cum publice omnibus approbantibus Eradium sibi post obitum suum successorem episcopum designauit. atq. vtinam hoc tempore episcopi, cum perpetuo residere non possunt, optimos successores episcopos sibi designaret, aut designari postularent, qui, episcopo loci absente, adessent ipsi semper, quiq. in diocese sibi designata. hoc Petrum fecisse, auctor est Damasus, & sanctus Epiphanius, quia (inquit) Petrus & Paulus saepe ad alias regiones, & prouincias proficiscebantur, neque poterat Roma esse absque episcopo, idcirco constitutos esse episcopos Romae illis adhuc viuētibus, hos autem fuisse dicit Linum, & Cletum, quales vero episcopos Romae fuisse. Petro superstitite, intelligere debeamus, Damasus, & Ioannes III. docuerunt, non quidem episcopos primos, sed episcopos adiutores primi episcopi. primus enim non potest esse nisi vnus, neque vnus loci plures. Ad hoc credo missum esse ab Apostolo Artemam, aut Tytichum ad Titum, cum misero ad te inquit Artemam, aut Tytichum, festina venire ad me Nicopolim, ibi enim statui hiemare, si non erat remansurus hic, aut ille, quorsum itineris, & nauigationis, periculo, ac labore fatigare eos voluisset, si tantum per eos accersere Titum volebat, quod iam satis per literas ipsas faciebat: praesertim tales, ac tantos viros e numero 70. aut Hippolytus tradit, quorum alter, id est, Artemas, episcopus Lystrae fuit, Titychi vero duo fuerunt, alter Colophonie episcopus, alter Calcedonis. Similiter cum Timotheum accersit, & festinare iubet, Titychum se ait iam misisse Ephesum, quorsum vero nisi vt Ephesi remaneret? ne scilicet ciuitas esset sine episcopo. Haec exempla faciunt, vt credam, non quidem vt nonnulli suspicantur, esse inutiles, & otiosos episcopos sine potestate populi

populi commisi, quos vocant titulares, imo pernecessarios, vt praesto sint ad ministrandum ecclesiis, cum ad aedificationem spiritualem proprios earum episcopos abesse necesse erit, in quibus deligendis non minus diligentiae adhiberi vellem, quam si statim ad proprias ecclesias regendas mitterentur, ita vt quisque eorum dignus sit, cui dicatur, accipe euangelium, & vade, praedica populo tibi commisso, vel committendo, nihil enim referre existimo, non committi statim populum, aut committi eum, cuius adeundi, & regendi non sit potestas vlla propter barbaros, & infideles. Et si fortasse conueniret, huiusmodi episcopos non prius fieri, quam propter absentiam proprii episcopi ad tempus, necesse esset alium episcopum mittere, ne populus sine episcopo maneret, sic enim pauciores fierent, & fortasse meliores, & non viderentur ordinati omnino *ἀπο λελυμένων*, vt Graeci dicunt, id est, sine titulo ecclesiae, quod prorsus in presbyteris etiam, ne fiat, cautum est, si non fierent nisi propter necessitatem statim administrandi ecclesias absentibus propriis earum episcopis, ex his igitur essent, qui postquam proprii episcopi ad ecclesias suas reuerterentur, episcopi existerent sine diocese, quales sunt titulares, quorum tanta nunc multitudo, & tam inutilis est, qui dici possunt ordinati absolute, quod Damasus ait in epistol. de cho repiscopis. omni auctoritate episcopali carere. Nihil .n. vt dixi, refert non habere diocesem, aut eam assignari, cuius non possis esse compos. fuisse autem aliquando episcopos sine propriis ecclesiis ad tempus, Artemam, & Titychum, illud me mouet, vt credam, quod non videatur verisimile, relictis suis ecclesiis, ad alienas missos fuisse, imo eundem nunc ad vnam nunc ad aliam, vt Titychum fortasse nunc Cretam, nunc Ephesum. neque puto tantos alioqui viros e numero 70. tanquam simplices vicarios missos esse ad administrationem ec-

hh

- clesiarum aliquot fortasse mensibus sine potestate con-
 - stituendi presbyteros, si videretur, & faciendi quicquid
 - ad episcopum pertineret. Contendunt adhuc isti, non
 - violari legem diuinam absentia pastorum, etiam perpe-
 - tua, quia per vicarios idoneos prouideri possit, iussif-
 - se enim Synodum Lateranensem committere idoneis
 - viris prædicationes, confessiones, atque visitationes.
 Ipsi viderint quantum habeat ponderis hæc ratio, quasi
 episcopus cum præsens est, non etiam opus habeat
 adiutoribus bonis, atque ministris, aut per se possit
 omnes pœnitentes audire, & in omnibus ecclesiis con-
 cionari. Grauius erat, & aptius, quod ex eodem concilio
 Lat. proferre potuissent, quodque non paucis, ne-
 que parum doctis difficile videtur. Sic enim decretum
 est. c. 32. qui parochialem habet ecclesiam non per Vica-
 rium, sed per seipsum illi deseruiat, nisi forte præben-
 dæ, vel dignitati parochialis ecclesia sit annexa, in quo
 casu concedimus, vt is qui talem habet ecclesiam, vel
 dignitatem, cum oporteat eam in maiori ecclesia de-
 seruire, in ipsa parochiali ecclesia idoneum & perpetuum
 studeat habere vicarium canonice institutum, si
 iure diuino sancita est residentia, vt quidem est, ergo
 Synodus Lat. decretum facit contra ius diuinum, mi-
 nime, imo ius tribuit huiusmodi dignitatem habenti,
 vt parochiam cõferre videatur, vt iam non tam ipse
 parochus sit, quam patronus, siue collator parochiæ,
 neque ille substitutus, tam dicendus vicarius, quam
 proprius parochus, quod intelligi potest ex eo, quod
 iubet Synodus perpetuum vicarium canonice institu-
 tum ponere, Perpetuitas autem & canonica institutio
 non sunt conditiones vicarii substituti, sed proprii resi-
 dentis, sicut supra dixi. Item eadem Synodus, postquam
 decreuit ne cui liceret habere duo beneficia cum cura,
 subiunxit, hoc idem in personatibus decernimus obser-
 uandum, addentes, vt in eadem ecclesia nullus plures:

dignitates habere præsumat, aut personatus, etiam si
 curam non habeant animarum, circa sublimes tamen,
 & literatas personas, quæ maioribus sunt beneficiis
 honorandæ, cum ratio postulauerit, per sedem aposto-
 licam poterit dispensari. Hoc quoque caput difficile
 non paucis videtur, quasi aliquid contineat aduersus
 ius diuinum, si iuris diuini sit residentia, verum non
 ita est. Siquidem extrema huius capituli pars exceptio-
 nem tantum continet proximæ partis de pluribus di-
 gnitatibus, aut personatibus non habentibus curam.
 Præterea, esto sit iure diuino sancita residentia, vt qui-
 dem est, non hoc prohibet, quin liceat aliquando si ea
 sit personæ sollicitudo, parochiarum vicinitas, non ma-
 gna frequentia ouium, temporis necessitas, raritas bo-
 norum pastorum, non mediocris spes fructus, quin
 vnus regat duas ecclesias, fueritque ea optima dispen-
 satio, & œconomia pontificis id concedere, neque con-
 cedere modo sed interdum quærere, qui eas curas su-
 scipiat. Illud vero maius adhuc argumentum putant,
 - quia possit pontifex remouere hinc episcopos & alio
 - transferre, quod fieri non posset, aiunt, si coniugium
 - ecclesiæ, & episcopi immediate fieret a deo, sicuti fiat
 - ecclesiæ, & Pontificis, quod si non fit immediate a deo
 - coniugium ecclesiæ & episcopi, non ergo ius diuinum
 - esse, episcopum in ecclesia sua residere, id est, sponsum
 - cum sponsa sua præsentem viuere ac versari. Diximus su-
 - pra consensum pontificis eligentis, aut electionem con-
 firmantis, & electi episcopi facere virtute diuina con-
 iugium ecclesiæ, & episcopi, item consensum eligentium
 Cardinalium, & electi pontificis virtute quoque
 diuina facere pontificem, qui quia summus pastor, &
 iudex fit, id est, vt omnibus præsit, ideo a nemine am-
 plius, quam diu fide stat, iudicari potest, aut mutari, aut
 priuari, sed potius ipse cæteros omnes iudicare, & mu-
 tare episcopos, ac priuare potest. vt ergo non ideo non

potest pontifex ab homine mutari, quia fiat a deo immediate, esto a deo fiat per ministerium hominum, alio qui lateret & nos, qui pontificem accipimus, & eum, qui datus est, ut pontifex sit, sed ideo non potest mutari ab homine, quia nemo habeat in eum potestatem, imo ad hoc fit pontifex, ut omnibus præsit, de omnibus iudicet, & de eo nemo, sic non ideo potest episcopus a pontifice mutari, quia, ut isti loquuntur, mediate fiat a Deo, id est, per ministerium hominum, hoc enim evenit etiam in pontifice, etsi non eodem modo, ut ante dixi. alioqui episcopos quoque a Deo fieri immediate ostendimus supra, quare non recte concluditur, ideo non esse iuris diuini residere in diocese episcopum, quia mediate fiat a deo, valeret enim hæc etiam ratio in pontifice, ut scilicet non teneretur iure diuino residere in diocese sua, id est, inter Christianos, quia mediate fiat a Deo, id est, per ministerium hominum, at hoc non concedent isti. Ad hæc, sunt (inquiunt) casus, in quibus licet dubitare, an teneantur episcopi residere, & quatenus, & ideo huiusmodi, quæ variationem, & dubitationem ex emergentibus casibus accipiunt, determinatio est sapientum, unde non possunt constanter dici iuris diuini, ut diei dominici religio, & ieiunium quadragesimæ, & alia huiusmodi, quæ si ita sunt, ergo neque vota, neque iuramenta iure diuino iam sancita erunt, quoniam in ea cadat varietas ætatis, personæ, materiæ, & aliarum qualitatum, Verum diei dominici quietem canone apostolorum sancitam esse, ac proinde lege diuina, testatur sanctus Anastasius Sinaites, is qui sextæ Synodo interfuit, qui canonem recitat, ieiunium vero quadragesimæ inter præcepta diuina non vno in loco retulit Leo magnus, ut perspicui potest ex sermonibus eius de ieiunio mensis decimi, & de quadragesima. Imo ieiunia. 4. tēporum, quadragesimæ, Pentecostes, septimi & decimi mensis a Deo instituta, & præcepta

esse affirmat, tametsi ante tempora Calixti nondum nisi. 3. temporum ieiunium exerceretur, ut ex epistola eius ad Benedictum episcopum intelligi potest. idem asserit Ambro. de ieiunio quadragesimæ in suis de ea sermonibus. Item Basilius in. 2. homilia de ieiunio, & Anastasius in eo libro quem inscripsit *κόλυβος*, & alii, quos prætereo. huius itaque ieiunii quadragesimalis consuetudinem habet ecclesia catholica apostolorum canone, cuius sancti patres meminerunt, ac proinde iure diuino sancitam, Deus enim (ut ait sanctus Epiph. scribens contra Aerium traditiones ecclesiæ contemnentem) dupliciter docet scripto & non scripto, quod quidem, inquit, Salomon significauit, cum dixit, audi filii sermones patris tui, & iura siue sanctiones matris tuæ ne reicias, id est, ecclesiæ, quæ in se habet constitutiones, quæ dissolui nō possunt, hætenus ille. valeat ergo cū ceteris hæc quoque verborū nouitas, quæ nō parū scandali, & contemptus affert, non esse de iure diuino ieiunium quadragesimæ, & obseruationem diei dominici, aliaque huiusmodi, & si enim notanda sunt, & distinguenda, quæ sunt a Christo, & quæ ab apostolis tradita, quæ scripto, & quæ sine scripto, tamen non sunt ex his dicenda alia iuris diuini, alia non iuris diuini, idē enim Deus est, qui vtraque sanxit, & docuit, siue scripto, siue sine scripto, siue per se, siue per apostolos, neque refert ad vim obligandi quomodo sanxerit, aut docuerit, an per se primū, an per apostolos suos, neutra. n. solui possunt, cum autem solui videntur, dispensatio potius est, & œconomia, quam solutio, aut enim causa non subsistit, aut iam non est ita necessaria, aut variata est, & commutata. Ut in ieiunio. 4. & 6. feriæ, quod canone apostolorum sancitum est ad recordationem passionis Christi, sicuti Dominus prædixerat discipulis, tunc ieiunaturos cum ab eis esset ablati sponsum, quod quidem coeptum est. 4. feria, cum initum est con-

filium de eo capiendo, & perfectum. 6. cum crucifixus, quod quidem ieiunium magis erat necessariū illis temporibus, quam nunc, cū celebratissima est, & in omniū memoriis infixā passio Christi. Quare nō violant nunc ius diuinum, vt mihi videtur, qui. 4. et. 6. feria non ieiunant, nisi vbi ea cōsuetudo religio est, vt hodie in Græcia, cum non ita necessaria sit causa, neque tamen hæc variatio facit, ne dici debeat iure diuino sancitum fuisse huiusmodi ieiunium. sed inquirendum potius, vtrū nunc eo iure teneamur, & cur non & vbi, Similiter ieiunium quadragesimale fortasse cœpit ab ἀκροφαγία tantum, id est, ab abstinētia carnis, vt in quodam vetustissimo canone apostolorum reperi, deinde clericis est indictum a Thelesphoro, postea a Leone magno 2. 4. et. 6. feria indictum omnibus, nunc vero cunctis hominibus & omnibus diebus, quæ varietas nō tollit, quin ieiunium quadragesimæ sit diuini iuris, quod isti negandum esse putarunt, quia ad pauca respicientes hæc, quæ diximus, non distinxerunt. Illud præterea nō dissimulabo, quod iidem aiunt, Petrum immediate a Christo accepisse potestatem ouium, reliquos vero episcopos a Petro, aut sub Petro, quod, vt inquiunt, dictū esse volunt propter Apostolos, qui immediate acceperunt a Christo, qui tāquam verus pontifex Petrū præuenit, fecit que episcopos, cum dixit, sicut misit me pater, & ego mitto vos &c. Ego præuentionem istam, fateor me non legisse nisi in istorum, & aliorum recentium libris, veteres enim sancti, cum alii, tum Leo magnus aliter docuerunt, is enim in sermone de die anniuersario assumptionis suæ loquens de Apostolis, quibus regendis Petrum præfuisse tradit, si quid (inquit) cum eo commune cæteris voluit esse principibus, non nisi per Petrum dedit, quicquid aliis non negauit, scilicet, quantum ad ordinem episcopalem, ac pastorem ministracionem. Et Eusebius Cæsariensis libro. 7. histo-

riæ suæ ecclesiasticæ, Iacobum ait, primum inter episcopos factum a Christo & ab apostolis episcopum Hierosolymitanum, & Anicetus in prima epist. tradit episcopos a clericis, quibus præesse debent, eligendos, ab omnibus autē eius prouinciæ cōsecrandos, si fieri possit, si nō possit, a tribus saltem auctoritate Metropolitanis, & reliquis consentientibus, idque exemplo (inquit) Iacobi iusti a Petro, Ioanne, & Iacobo consecrati. Valeat ergo cum reliquis nouitatibus hæc nouitas præuentionis, teneamus, vt tandem finiam, relictis fabulis, episcopos omnes immediate a deo per ministeriū pōtificis, & fieri nunc, & semper antea factos, fieri inquā, vt sicut ait Salomon, animas gregis sui norint γνῶσθε, id est, euidenter, & pro eis vigilent, tanquā rationem reddituri, præsentēs, quisque in ouili suo, vt est etiā apostolorū canone sancitū, alioqui nō pastores futuri, sed alieni, & adulterini, qui cū personā Christi principis pastorū gerant, & quod soli petro tanquā formæ pastorū dictū est a Christo, pasce oues meas, ad eos quoque tanquam formas gregis futuros per Petrum ad eodem domino dictum sit, teneamus, debere eos iuxta parabolam euangelii, quæ ad omnes pastores dicta est, ante oues ire, & proprias oues vocare nominatim, ex quo fiat, vt iure diuino tum vetere, tum noua scriptura sancito, in suis ouilibus semper residere teneantur, quamdiu eorum pastores sunt. ita tamen, vt si propter necessitatem magnam, aut magnam ecclesiæ utilitatem abesse ad breue tempus contingat, non iam abesse, sed adesse censeantur, satis enim fuerit. tantisper dum redeunt, absentes quidem corpore, præsentēs vero spiritu esse. aduersus vero pastores eos, qui alius alia causa abesse malunt ab ouilibus suis id est pasci, magis quam pascere, plena est scriptura sancta præsertim prophetarum seuerissimis iudiciis, & horribilibus minis, estque hic locus pernecessarius hoc tempore ad inculcandum, & retractandū

frequentissime in libris, in ecclesiis, & in priuatis sermonibus, & a multis, vel exemplo prophetarum, qui idem multi, & vnus eadem frequenter absque vitio tautologiæ ad vtilitatem repetere solent, ex quibus commemorabo visionem illam Zachariæ de supplicio in periuros, & fures, id est in eos tum populares, tum sacerdotes, qui post reditum Babylone, iuramentum de eiiciendis vxoribus alienigenis & ruocandis suis interpositum non seruarent, vt Esdras ipse, qui eos adiuuauit, narrat, itē in eos, qui de sacro Thesaurō templi principibus sacerdotum ab Esdra credito aliquid auerterent, quæ quidem prophetica visio in figura tunc cōtigit, vt nunc istis, qui ecclesiis præsumunt similiter prophetatum putemus, si similiter vixerint, id est si fidelitatem, præsentiam, & sollicitudinem, quam sponsis suis ecclesiis promiserunt, non præstiterint, & si decimarū, atque primitiarum mercedem in furtum, aut rapinam verterint, accipientes scilicet, & non operantes, accipientes inquam stipendium, & non militantes. ergo vidi, inquit, falcem volantem longitudinis cubitorū. 20. & latitudinis. 10. scilicet magnitudinē & celeritatem supplicii designat, & dixit ad me angelus, hæc maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ, quia omnis fur iudicabitur, & omnis periurus iudicabitur. Commemorabo præterea quod est apud alium prophetam in eos sacerdotes, qui legem de partibus victimæ sacerdoti assignatis magno studio & diligentia seruabant, legem vero de inspiciendis vitiis victimæ, vtrum cæca, clauda, scabiosa, vtrum aure, an cauda carens, an aliter vitiosa, negligebant, mittam inquit super vos maledictionem, & maledicā benedictionibus vestris, quare non ponitis in cor vestrum? ecce ego separaro vobis armum, & disperdam ventriculum super facies vestras, ventriculum solennitatum vestrarum, & suscipiam vos in idipsum, & paulo post, ego dedi vos contemptibiles,

temptibiles, & humiles in omnes gentes pro eo, quod non custodistis vias meas. an non hæc omnia imo maiora mala, & supplitia proposita sint iis sacerdotibus, atque pastoribus animarum, qui parum curant videre? imo & si velint, quia absentes sunt, videre non possunt vtrum ii, quibus præsumunt & quorum habent curam impositam, cæci sint, id est non habentes lumen veritatis, vtrum claudi, id est non recte ambulantes & ad veritatem euangelii, vtrum scabiosi, id est, sanam doctrinam non sustinentes, sed secundum desideria sua coacerbantes sibi magistros, prurientes ipsi auribus, vtrum aure careant, id est auertant auditum a veritate, ad fabulas autem conuertantur, aut audiāt quidem verbum Dei, non tamen faciant illud, quod est, nō habere aures audiendi, id est, non esse promptos ad obediendum auditis, vtrum habeant cicatrices, id est cauteriatam conscientiam sensu peccatorum suorum amisso. Vtrum careant cauda, id est gubernatione recta non solum ecclesiastica, sed ciuili, Cauda enim qua auium volatus, ceu nauis clauo dirigitur, symbolum est gubernationis quam inde Græci dicunt *οὐραγία* vtrum scisa lingua, id est, non offerentes laudes fructum labiorum cōfitentium nomini Dei, denique vtrum aliis vitiis affecti sint, quæ prohibeant, ne offerant corpora sua hostiam viuentem sanctam, Deo placentem. tamen qui hæc non curant, iidem tamen vbicunque terrarum, & locorum sint, decimas, & primitias diligentius & cautius fortasse curant, quam si præsentibus essent. quibus per Malachiā Dominus inquit, mittam maledictionē super vos, & maledicam benedictionibus vestris, benedictiones appellat fructus sacerdotii, & participationes altaris, maledictionē autem supplitium. deinde causam subiungit, quia inquit, nō posuistis in cor vestrū, id est, non considerastis, prius honorandum esse Deū, deinde fruēdum honore & fructu sacerdotii, prius in-

quam ministrandum altari & plantandam vineam, deinde de altari participandum, & de fructu vineæ edendum, ecce ego separo vobis armum & disperdam ventriculum super facies vestras, separo inquam vobis sacerdotibus ac pastoribus decimas, & primitias, ipse enim Dominus constituit ut ministri altaris de altari viverent. Deinde sequitur, & dispergam super facies vestras, id est cedent vobis tandem in incōmodum & cōtumelias, & suscipiam vos in idipsum, id est, ut me in honorastis, in honorabo vos, quæso quid habebūt isti, quod respondeant pro se, & excusent, cum in cōspectu Dei arguentur, neglectis ecclesiis, quæsisse quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi? id est nō fuisse sollicitos pro animabus gregis in fidem suam recepti, pro quo Christus animam suā posuit sed pro lana & lacte eius? quis eos defendet, cum ante tribunal Christi conscientia eos accusauerit auaritiæ, ut olim Dominus apud Esaiã accusabat seniores & principes, qui inter se inquit Hieronymus, differebant, sicut apud nos presbyteri & episcopi, mi popule, inquit, exactores vestri calamos colligunt, & qui exigunt, dominantur vobis, Dominus in iudicium veniet cum senioribus & principibus. vos enim depasti estis vineam meam, & rapina pauperis in domo vestra. quare atteritis populū meū, & facies pauperū pudore afficitis? quæ locum imitatus Petrus, senioribus & presbyteris præcipit his verbis pascite, inquit, qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes, nō coacte, sed spontaneæ secundum Deum, neque turpis lucri causa, sed prompte, neque dominantes in clero, &c. & quæ admodum poterunt isti crimen illorum exactorū, effugere, si nimium diligentes fuerint, multūque in eo cauti & prouidi, ut populus decimas etiã ex minimis soluat, quæ autem sunt grauiora iudicium, misericordiã & fidem minime doceant, neque doctrina neque vitæ exēplo forma gregis facti corā, ut debēt, immemores

quid Dominus dixerit scribis, & pharisæis, qui ex ruta, anetho & cimino decimas exigebant, quos eosdē puto esse qui apud Esaiã exactores, Illi seniores, & principes, qui similiter neque calamis parcebant. hæc, inquit, oportuit facere & illa non omittere, perinde atque diceret in primis plantandam esse vineã fide, & charitate, secūdo loco de fructu eius edendum, primum pascendum esse gregem, deinde de lacte eius manducandum, dignus est enim, sicut Dominus ait, operarius mercede sua. si quidem nemo militat suis stipendiis. præterea scriptum est in euangelio, si ergo offeres munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offeres tuum, at hic quis non videt, quemadmodum non vnus, aut duo, sed tota ecclesia habet nō aliquid, imo aliqua aduersus pastorem suum absentem propter absentia incommoda infinita? merito ergo istis dicit Dominus, quod illis, qui vitia victimarum nō curabant & vxores quoque suas eiiciebant, non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus & sacrificium non suscipiã de manibus vestris. dici enim potest his sacerdotibus similiter atque illis olim, qui vxores suas relinquebāt, quæ miseriam suam, & calamitatem lugebant, operiebatis, inquit, altare lachrymis, & fletu, ita ut non respiciam vltra ad sacrificium, neque accipiam quid acceptabile de manu vestra. Vbi ergo sunt, qui istos, priusquam ecclesiis suis, quibus vsq. ad lachrymas incommodarunt, satisfecerint absoluant, imo vero qui se, & illos scelerare obligant? De eis vero, ad quos in primis pertinet huiusmodi residentiam pastorum curare, pontificem dico & reges, Deum omnes precemur assidue, ut sicut de Iesu filio Iosedech sacerdote magno, & rege Zorobabele prophetauit Zacharias, consilium pacificum sit inter ipsos cum ad alia bona perficienda, tum

ad hoc de presentia pastorum in sua cuiusque diocese,
 & parochia prouidendū, quod ex ipsis & vniuerso gre-
 gi Christi tam necessarium est, vt dubitem vtrum sit
 aliud in vita magis, imo certum habeam non esse. sane
 euenit hac nostra ætate, quod Dominus per eundē pro-
 phetam de malis sacerdotibus dixit, in pastores iratus
 est furor meus, non enim est alia ira Dei maior, quam,
 vt est in sapientia, cum corripitur homo a superueniē-
 te iniquitate. Superest ergo precari Deum, vt eueniat
 nobis iam quod sequitur in eodem prophetæ loco, &
 visitabo agnos meos. ipse ergo visitet gratia sua & suo
 spiritu veritatis doceat semper quæ vera & salutaria
 sunt, profana vero illa vaniloquia, & scandali plena,
 quæ sicut Apostolus ait, multum proficiunt ad impie-
 tatem, & velut cancer serpunt, quæ satis hactenus cō-
 futauimus, sana doctrina & forma sanorum verborū,
 quæ ex sanctis didicimus, muniti & instructi vitemus
 diligenter, non esse in euangelio præceptum de residen-
 tia episcoporum, nulla Dei voce episcopos fieri, esse
 quidem episcopatum inuentum a Christo, singulos ta-
 - men episcopos a Petro creari, pontificem immédia-
 - te esse a Deo, episcopos autem immediate a pon-
 - tifice, parabolam boni pastoris non esse dictam ad o-
 - mnes pastores. Item illud verbum, pascite oues meas
 - ad neminem pertinere nisi ad Petrum, & successores,
 - in pontifice nudam electionem esse per homines si-
 - ne collatione potestatis papalis, tum Apostolos fa-
 - ctos episcopos per præuentionem a Christo solum sine
 - ministerio petri principis apostolorum, præterea præce-
 - pta Pauli, quæ in eo solo leguntur, quæ isti admonitio-
 - nes & statuta vocant, non esse præcepta Dei, similiter
 - legem Moisis non esse proprie legem Dei. ad hæc ca-
 - nones apostolicos de ieiunio quadragesimali, & quie-
 - te diei dominici, & alias huiusmodi traditiones, & cō-
 - suetudines ecclesiasticas non esse iuris diuini saltem.

non scripti, hæc inquam noua, & ecclesiasticis viris in-
 solita, & inaudita, aliaque huiusmodi summo studio
 vitemus, eos vero qui ea aliquando tradiderunt, ac do-
 cuerunt, obsecremus cum omni reuerentia, & obteste-
 mur, vt meminerint, quod supra dixi scriptum a Leo-
 ne magno sanctissimo, id quod sapientissimo cuique,
 & optimo conuenit, tunc optime veritatem defendi,
 cum opinio falsa a suis auctoribus damnatur, idem me
 omnium minimum facturum polliceor, si quid hic, aut
 vbicunque alias, & a quocunque errasse admoneror,
 imo habiturum me illi maximas gratias, ego enim o-
 mnes ab errore viæ suæ, sicut me ipsum, liberatos vhe-
 menter cupio, vt lex charitatis præscribit, quæ

non æmulatur, non perperam agit, nō
 inflatur, congaudet veritati,
 quæ omnia sustinet, &
 omnia sperat
 in Christo.

Iesu Domino nostro, cum quo, & per quem
 Deus pater vna cum sancto vtriusque
 spiritu regnat in sæcula
 sæculorum.
 Amen.

ii iii

PER viscera Domini nostri Iesu Christi obtestor episcopos omnes, & presbyteros, quicumque sunt pastores ouium, pro quibus bonus pastor Christus Iesus animam suam posuit, ut has Athanasij Patriarchæ Constantinop. episcopi sanctiss. & sapientiss. epistolas quas e Græco in Latinum conuertit legant, & relegant attentissime, ex quibus intelligent, spero, non sine magno fructu, quæ sit muneris pastoralis ratio, & lex.

ATHANASIVS PATRIARCHA CON
stantinopolitanus, Episcopo Cretæ volenti
proficisci ad episcopatum suum.



CHARISSIME mi frater, & cōminister, gratia tibi & pax a Deo. Consilium istud tuū, ac voluntas, quæ ad aures meas perlata est, fortis, virilisque animi, ac sursum tantum aspicientis, verique pastoris, vere, ac legitime certantis, & nomini, ac vocationi suæ respondentis visa est, non autem mercenarii, & fugientis non solum filupum videat, sed si vulpem, vnde gregi Christi principis pastorum damnum creet, & animæ suæ infinitos præparet cruciatus. Cur enim iste non potius vitam priuatam viuere maluit, si cogitabat succumbere, seque, non oues pascere, pro quibus sanguinem suum Christus profudit? quemadmodum non venit huic in mentem eius, qui maledicto eum affecit, qui opus Domini facit negligenter? quamuis facere, nomine simulet, in cuius alioqui animo infidet, quod de insipiente scriptum est, qui dixit in corde suo, non esse Deum. neque enim Deum ponunt, qui hæc in conspectu eius facere audent. ex quorum numero, & ordine faxit Deus, ne simus, ascribatque nos inter fideles dispensatores, concedatque benigne, vt præsto simus principi pastorum, ad perficiendum quæ oportet, ponamusque animas pro ouibus eius, qui simul & demonstraui, &

edicto sanxit, quod omnibus pastoribus, si quando alias, hodie maxime conuenit, cum nō solum lupi graues, impii, inquam & hæretici, in gregem Domini irruunt, sed ex nobis ipsis, vt Apostolus ait, viri, & mulieres non verentur Christianos a Christo distrahere, & auellere. quamobrem veris pastoribus non est tutum non vigilare, & non circumquaque omnia lustrare, ouesque errantes solum quærere, ac non magis sollicitos esse pro iis, quæ non errant, perterritos horum temporum tenebris, quæ iusto Dei permisso, ac iudicio nobis illatæ sunt, quia scilicet non ita viuimus, vt eum decet, qui nos vocauit. sed O animarum nostrarū detrimentum, O ingentes pœnas nobis ob nostras libidines, & perturbatas voluntates, quæ hoc malum pepererunt, infligendas, hoc inquam malum, vt gens sancta per omnes campos, & montes vitio pastorum absentium dispersa ac dissipata esset. quare quo celerius istud tuum debitum tibi inspiratum perfolueris, sanctumque propositum perfeceris, tanto cum maiore lucro perfeceris. debent hoc facere omnes boni pastores, quicumque hoc nomine digni sunt, ita vt qui cessarit, non sit impune cessaturus, etenim si quisque pastor in diocèse, quæ sibi obtigit, vel biduum moretur, experiri liceat permulta peccata, & damna non esse futura in populo. perinde namque esse videtur gregem abesse a pastore, vt cæcum duce carere. sane augentur oues, & in tuto sunt, cum præsentunt veri pastores, non autem qui solum ebibant lac, & lana tegantur, omnique studio, & arte seipsos, non oues pascant. quod malum Deus ab ouili nostro auertat, multiplicetque in eo potius quicquid diuinū est, deoq. gratum. etenim si quod de te auditū tantum est a multis, de tuo ad diocēsem reditu, quod alioqui ab omni episcopo fieri debet, cōtinuo visum est omnibus laudabile, nempe oues ablatas fortiter recuperare, non ablatas conseruare viriliter, interdum

etiã alienas adiungere ad nostras, tum errantes & amif-
 fas, quoad fieri possit, querere ac vestigare, & inuentas
 in humerum magno conatu imponere, ad ecclesiasque
 reducere in numerũ eorum, qui ab errore alieni sunt,
 hæc inquam, quam grata Deo, & Deo deditis fuerint?
 idcirco quod voluisti, quia honestissimum erat, lauda-
 uerunt cordati, & prudentes omnes, & in primis impe-
 rator ipse, qui nõ solum approbavit, sed magnifica ver-
 ba fecit nactus hanc occasionem ecclesiæ vtilem, imita-
 tus eloquentissimum illum virum, cum quo, quoties
 pro ecclesia illi dicendum est ad vtilitatem multorum,
 nemo orationis suauitate, copia, & elegãtia certare po-
 test. & vsque adeo, vt dixi, propositum, consiliumque
 tuum, aptum & congruens visum imperatori est, vt Sy-
 nodicis literis, & edicto suo decreuerit, vt ex episcopa-
 tu Metropoli Mononbasiensi subiecto ducenti aurei
 annis singulis tibi redderetur, quo etiam beneficio nos
 obligauit, vt non solum propter religionem imperato-
 rem laudemus, & pro eo omnes ecclesiastici preces ad-
 hibeamus, sed propter variam, multiplicemque benefi-
 centiam, atque prouidentiam. hoc exemplo factum est,
 vt episcopus Sardenfis præ studio, & cupiditate eundi-
 celeriter ad requirendas oues suas, non excusarit peri-
 cula, impedimenta itineris, senectutem, temporisque
 incommoditatem, quas omnes difficultates vicit ani-
 mus ipsius promptus. quem imperator cum laude di-
 gnus iudicaret, & ad debitum munus, atque salutare
 excitare vellet, prouidit, vt esset, vnde illi necessaria
 commode suppeterent. scilicet suo consilio, & auctori-
 tate perfecit, vt decreto Synodi, & edicto regis, Mety-
 mnensis metropolis ei adiceretur, vt tibi hætenus adie-
 cta fuit, idque duplici nomine, & causa, & vt Metropo-
 lita præsidio septus esset ad regendum, & vt populus
 ipse Metymnensium commodius, faciliusque regere-
 tur, ac propter vicinitatem oues scabiosæ curari pos-
 sent

sent opportunius, tum bene valètes conseruari, & exci-
 tari ad honesta opera. Vtrumque enim vestrum male-
 dicto afficit scriptura sancta, si cum sitis pastores, non
 vsque ad sanguinem in iis, quæ diximus, efficiendis
 persistatis. donec vt confidimus, Deus nobis propi-
 tius, pacem, tranquillitatem, ac salutem cuiusque pasto-
 ris gregi restituat, quod vt faciat, placandus, flecten-
 dusque nobis est, & nostris recte factis, obedientia, &
 vita Christiana implorandus. ita enim fiet, vt legem di-
 uinam seruantes, quæ turpiter viuètes iuste amissimus,
 precibus beate Mariæ restituantur. Vale in Christo.

ATHANASIVS PATRIARCHA CON-
 stantinopolitanus episcopo Sardenfium.



OSTI, quemadmodum sapientia discipu-
 los suos doceat, ne (inquit) reprehendas
 sceleratos, ne te oderint, tanquam sapien-
 tes tantum reprehendere oporteat, vt qui-
 cunque fratres amant, vicissim ametur, op-
 portune hinc principium sumpsisse videbor, qui ad te
 virum sapientem, & in literis sanctis eruditum, scri-
 bam. Scio te non ignorare, quæ a sanctis apostolis de
 constitutione rerum ecclesiasticarum sancita sunt, ex
 quibus vnum est, vt quisque pastor intra suos fines in-
 sistat propter pacem, & charitatem, quarum est Iesus
 arctissimum vinculum, quod solui non potest. scis præ-
 terea, vt quales nos essemus, appareret, quibus notis
 verum pastorem designantibus magnus ille pontifex
 Christus munus pastoris diffinierit, nempe mutua in
 illum charitate. Deinde nõ ignoras. ornatum probi pa-
 storis, qui sit animas gregis sui euidenter cogniturus,
 de quo scriptum est bonus pastor animam suam ponit
 pro ouibus suis, & quod Gregorius cognomento theo-
 logus edisserit, non vnumquemuis discipulum ad euã-
 kk

gelium mitti, neque qui mittitur, quomodocunque mitti, sed qui veritatis, virtutisque studio tantum intentus sit, vacuus, & expeditus omni cura, omnique impedimento liber, sine ære, sine virga, vna tunica, nudis etiam pedibus, tanquam non possint aliter speciosi esse pedes euangelizantium pacem, & cætera bona, intellexisti etiam, quis sit mercenarius, & qualis, de quo pudet me tum dicere, tum tacere, cum satis ipse status temporum, & rerum eum ostendat, atque coarguat. de quo si attente audiam prophetas, cum in mei similes pastores his verbis inuehantur, pastores pascunt seipso, non oues, & illud, o pastores, qui perditis oues pascuere, item pretio respondent sacerdotes, sacerdotes legem Domini occularunt, & legem meam violarunt, & sancta mea profanarunt, item illud, lanis ouium indui, & mactare, quod pingue est, lac bibere, hæc inquam attente audiens, quid faciam, ne metuam eos, qui me redarguunt, & clare ob oculos mihi ponunt, qualis sim? quæ si fabulas putat; qui in ignem illum extremum non intuetur, mihi certe non fabula, sed ita horribilia omnia esse videntur, vt horrore exedant, cõsumantque medullas. neque tamen curamus, facere pro viribus, ne propter aliquod ex his vitium, ac scelus, constricti vinculis arctissimis, poenis sempiternis afficiamur, sed potius damus operam vanis contentionibus, iudiciumque ad libidinem nostram corruptis, aut ab eo, quod fieri oportuit, abducimur. quæ enim facere solent, qui statum ecclesiæ perturbare moliuntur, hæc isti questus gratia faciunt, scilicet cum a principio constitutum esset, vt lis quoque anno Synodus haberetur, postea vero commodius videretur haberi semel, ne oues propter crebram absentiam pastorum facile a lupis inuadi possent, nostra nunc ætas nescio an aliquid prudentioris cõsili prouidens, an corruptius iudicans, hoc quoque sustulit, vnde grana, & noua mala suscitauit, & curam

pastoralem in pecunias pauperum corradendas contulit, grege lupis relicto, magna vero diligentia, & vigilantia locum episcopi ornarunt, vt desertis suis gregibus apud reginam Cõstantinopolé accubarent, denique maluerunt breui voluptate cõtenti carni indulgere, quàm cū populo Dei laborare contempnis legibus diuinis, quæ prohibent, ne paulis per quidam impune a grege abesse. ac nisi vt apostolus ait, inimicus viderer verum eloquens, possem aliquid vere dicere, quid questio, iuuat istos episcopos, & pastores in vrbe morari, nisi (omittam alia) vt Patriarchas, alios moueant, alios eligant, ne si idem diu sit Patriarcha, res omnes ecclesiasticæ cõpositæ sint: quod præclarum facinus ex eo tempore facere isti cõsueverunt, ex quo Cõstantinopole potiti sumus. quod quidem cū reliquis malis, non est ambiguum, & incertum, quin iram Dei nobis augeat. quandoquidem tolerasse Deum mundi peccatum didicimus, eremi vero peccatum nequaquam, similiter verissimum est, neque pastores, qui gregem negligunt, impunitos, inultosque discessuros, tametsi fortasse non ita videatur iis, qui sponte velamen obtendant, ne limatam euangelii veritatem aspiciant, Sicuti cum Moyses legitur populo Israel. quos quidem ex istimabam sublato iam velamine, reuelata facie videre, sed o calamitatem, & miseriam. vt tempore ipso facile mala subeunt, quale est hoc monstri, quod nunc ortum est, vt reperiantur episcopi, qui tantum dent cõsiliium, suamque dicant sententiam, non autem qui decreta, sententiamque maiorum tum priuate, tum publice cõfirmant, & sanciant. ita vt iam in causis pauperum nobiscum quidem sentiant, qui pariter iudicant, non tamen in causis diuitum, atque nobilium, quamobrem non conuenit mihi cum his confessoribus iudicibus iudicare. si pax munere Dei, consecuta fuerit, & concilium frequens cogi contigerit, corrigetur hæc omnia, quod si secus euenerit, quandoquidem nescimus, quid

proximus dies sit allaturus, iudex ille, qui fall non potest, ecclesie suae consulat. hoc te scire volui, ne molestum esset venire. Vale.

ATHANASIVS PATRIARCHA CONSTANT. Episcopo Apameae.

GRATIA & pax tibi a Deo omnipotente. existimo te non ignorare, quid Basilius ille magnus ad Gregorium scripserit de eo, ut excluderet mulierculam, quam domi habebat. & quemadmodum iusserit, ut nisi statim excluderet, cessaret ab officio sacerdotali redditurus Deo rationem cessationis, futurisque cuncto populo anathema, si non cessaret, sed potius absque reverentia sacra mysteria Deo offerret. quibus verbis demonstravit, quantum damni, & iacturae faceret, qui dignitatem adeptus, non exerceret ministerium recte, & assidue. Sunt itaque facta sanctorum patrum exempla nobis, ut quae nobis facienda sunt, cum iis comparemus, quae gratia spiritus sancti per eos aspiravit. in quae aspicendum est, ut in solem aspicere solent, qui lumen desiderant. quamobrem tibi hoc exemplar inculcimus, ut quando quidem ecclesiam tibi commendari voluisti, gregem Christi ad pasqua viridia, & salubria omnifstudio agas, & ducas, defendasque eum a bestiis non quibuscunque, sed Arabicis, tum corporalibus, quae cernuntur, tum spiritualibus, quae non cernuntur. & ut debet verus episcopus resideas sancte ad sanctam aram, de qua tibi participandum est, sicuti Dominus pronunciauit, dignum esse operarium mercede sua, quamobrem non est existimandum, licere tibi Diu quavis de causa abesse. quin potius faciendum tibi est, ut celeriter ire possis ad eam ecclesiam, quae tibi addita est, & commedata, ut ei praesens, hoc autem facies, si prius restitui feceris, quaecunque siue te conscio siue non conscio sur-

repta esse constiterit, ut benigne Deus sua cuique nostrum tribuere velit, quod erit suo tempore iocundissimum, quae quidem sublata sunt ab iis, qui hanc labem episcopis aspergere volunt, ut dum ipsi aliis insidiantur, & iniurias inferunt, culpa in eos, qui mali pastores sunt, transferatur. alioqui quemadmodum ire licebit in aspectum eorum, quorum damna & iniurias in humane contempseris: a quo tamen omni se iniuria liberandos esse sperabant. aut quemadmodum cogemus eos, ut magistrum ferant, nisi quod Zachaeus faciebat, hoc idem nos fecerimus? ille enim si quid aliquem defraudabat, reddebat quadruplum. & Dominus pios omnes iubet ab avaritia abstinere, quod quidem qui non fecerit, & docuerit, quemadmodum non erit anathema populo? est enim peius non facere hoc, quam quod Gregorius ille, quem dixi, fecit, quanto facilius, & leuius id mali potes corrigere, alioqui vtrumque, imo quicumque non emendantur, a Christo principe pastorum punientur. ergo postquam hoc perfeceris, veni ad nos, ut literis acceptis, a nobis absoluaris, & confirmatus eas bona conscientia ad munus pastorale administrandum. quamdiu enim non vereberis haec, quae facis, facere, nos quidem, te a dioecese tua absente, rei non erimus tuae vacationis, eorumque malorum, quae ex absentia, & vacatione nasci necesse est, neque eorum bonorum interceptores, quae si adesses, opere, & sermone facere poteras, & debebas. Concedat tibi, cunctisque fidelibus Deus, quod commodum est.

ATHANASIVS PATRIARCHA
Episcopo Apameae.

TERTIO iam ad te scribo mi frater, & comminister, quando quidem binis meis literis superioribus, quas ad te misi, non stetit verbum velut in ore duorum testium, sicut ait scriptura sancta. hortamur ergo

te, quia hoc ius postulat, vt quæ surrepta sunt, iis, quibus surrepta esse cõstat, restituantur, vt cum restituta fuerint, ipse ecclesiam tibi commẽdatam adire possis, eumque honorare, a quo cuncta sunt ita iustis & mirificis modis disposita, atq. distributa, vt vel grues suo tempore canant, neque sint omnitempore, neq. omni loco graculi. ego vero eum, cui grex Christi cõmissus est, si dignitatẽ muneris norit, iniquum esse arbitror, non vsque ad sanguinem assidue ei studere, & incumbere, nisi forte ignorat is, Deum esse, qui dixerit, Petre amas me, pasce oues meas. sed hei mihi, non iam pastores oues pascunt, sed ouibus tanquam pane pascuntur. iam horribilia illa mala malorum pastorum, quæ propheta Ezechiel describit, summa licentia, irreperunt. quæ si talia, tamque graua vobis videntur, age optime vir, cõtentus esto tua diocese, permane in ea, fac sis cum ouibus tuis, vsque ad sanguinem illis affixus, quas quidem nunc in myrtetis, inter ficus, & rosas, atque in montibus diuina prouidentia custodit. neque enim quod certissimum est, virga, & baculo tuo pastoralis fit, vt in pascuis virentibus pacis, & bonorum cœlestis Hierusalem eæ sint. scis enim, qui amplius sex mensibus a diocese abfuerint, nisi eos grauis morbus teneat, canonibus, & legibus firmatum esse, vt sacerdotium, & gregẽ amitterent. Verum nouum consilium, & sceleratum hic a nostræ ætatis hominibus excogitatũ est. scilicet mittitis aliquem, qui sciat mulgere gregem, ipsi vero in vrbe Constantinopole expectatis propter præfecturas ciuiles, subscriptiones, intempestiuas ordinationes, adde etiam bulas, & decreta, & tanquam impune sit vobis futurum, ita procul a diocese vobis cõmissa receditis, & alia huiusmodi, vt cuique libet, cõmittitis. oportebat potius, cunctis episcopis vndique in vnum congregatis, suam cuique diocesem funiculo distributionis circumscribi, atque

ita patriarche partem suam a vobis assignari, aut vos a patriarcha priuari. & quid prodest, laborasse vos in deligendo ac constituendo patriarcha, ac postea insultare, & efferri in eum? & vita ipsa, atque factis irridere? nulla, ne ad breue quidem tempus, canonum, & legũ ratione habita, quem si vestris fortasse libidinibus resistere videatis, continuo crimina fingitis, & eum cum infamia, atque dedecore eiicere cõtenditis. ad quid vero necesse est, ad suam quemque diocesem ire, propriã dico, aut sibi commendatam, nisi vt lupos inde arceatis? quod si fortasse huc vos incitat, & trahit tum studium, atque desiderium consulendi multorum salutis, idque vobis propositum est, tum scientia tam multa, vt hinc possitis, etiam quæ extra fines vestrarum dioceseon posita sunt, gubernare, ad extinguendam sitim hanc, huiusque studii ardorem veniat in mētem illius, cui plurima sanctarum literarum scientia theologi cognomentum dedit, illiusque parua salimorum dioceseos, ita vt vel propter reuerentiam illius excellentis viri, vel propter æqualitatem honoris, quo contenti esse debetis, quisque vestrum intra suos se fines contineat. quãobrem existima frater, deberi a te hoc vsque ad sanguinem, vt cum ouibus tuis sis, & viuas, hoc idẽ cæteris episcopis studium esto, ipsis quidem, eorũque gregibus salutare. neque enim hoc præsertim tempore supplitia effugiet pastor, qui cum grege non laborat, in quem profecto conueniat, quod Dominus ait, videt lupum venientem, & relinquit oues, & fugit, & lupus rapit eas, quæ qui non audit, sententiæ huius auctorem contemnit. etenim nisi hoc fiat, quorsum iste vester conuentus? quid commodi affert? aut si quid boni hic agitis, dicite. Ego enim, nisi sacerdotio labem aspergeret oratio, multa demonstrarem indecora, & ab ecclesiæ constitutione aliena, quæ ex isto vestro in hanc urbem conuentu proficiscuntur.

HANC epistolam uerti, ut intelligerent, qui mali pastores sunt tametsi presentes in diœcesse, non licere sibi presentibus munere pastoralis, sive ministerio episcopali fungi, id. n. summa est irreuerentia & scandali plenum, sed prestare absentes esse, at tunc reos quidem esse uacationis suæ, & absentia. itaque non licet esse presentes, si mali sunt, & absentes non erunt impune, quia scilicet ipsi in culpa sunt, cur non liceat, presentes esse, ut quidem esse debent, ita fit, ut prestet eis mori, & ex hoc mundo exire, quam furij conscientia agitato nusquam absque peccato officij sui sanctissimi consistere.

ATHANASIVS PATRIARCHA CONSTANT. EPISCOPIS AD DIŒCESSES SUAS PROFICISCENTIBUS.

Si quid est aliud necessarium, idque omnibus, maxime est fratres, & compastores mei, necessarium præsertim magistris ecclesiæ sacram scripturam reuereri, metuere, & diligenti perscrutatione examinare, atque ad perficienda, quæ in ea mandata sunt, promptos, expeditosque esse cunctos Christianos, nisi prorsus infantiant. Dominus enim est, qui hortatur perscrutari scripturas, & ex eis tum præterita, tum pleraque in posterum futura discere, & docere. vnde salutis suæ cupidus semper studium fuit Moïsem, & prophetas audire, Verbum enim iudicat nos, ut is, qui mentiri non potest, docuit. quare omnis scriptura diuinitus inspirata salutaris, & utilis est ad examinandum, quod conueniens est, & honestum, & ad erudiendum, atque corrigendum, utilis inquam, non solum iis, qui turpiter viuunt, sed magis iis, qui sobrie, & continenter, iis vero, qui pastoralis dignitate, & gradu qualicumque præditi, & ornati sunt, est ipsa vita æterna, & lucerna pedibus eorum, viaque certissima ad faciendas Dei iustitias. Ex ea enim didicimus, per quem, & a quo facti, & ad quem tendamus, quibus quidem iniunctum est

est munus docendi, & non utcunque, sed ita pascendi, ut eum, qui pascere dedit, vicissim amemus, scientes, quis est, qui venit, & iterum venturus est ad iudicandum viuos, & mortuos, & scientes quod pastores, qui Dei præcepta, vel propter reuerentiam, vel metum, vel propter charitatem ex animo seruarint, ad dextrâ positi incredibili splendore fulgebunt, qui vero non seruarint, ad sinistram erunt ad omne genus cruciatuum damnati, & quod est omnium intolerabilissimum, atque acerbissimum, procul a conspectu Dei eieci, & perpetuo conscientia morsu exagitati. rursus vero qui munere pastoralis recte defuncti fuerint coram angelis, & hominibus laudabuntur, utpote probi, fideles, & prudentes, atque grati, quique sal, & lumen fuerint hominibus, nihil, quod utile, atque commodum esset, prætermittentes, qui non verbis solum, sed factis & virtutes tradiderunt, & vitia expulerunt, cunctis præcipientes, ut declinarent a malo, & facerent bonum. ad quod quidem bonus Deus legem non scriptam naturæ insculpsit gratis, deinde seruos mittere non destitit, qui nunciarent Dei voluntatem non solum inuitatis ad coenam, & nuptias, sed iis etiam, qui erant in viis, & sepibus cum ornatu nuptiali, cæteros enim non sic ornatos vincula, & tenebras manere. ergo quicumque pastores appellamur, demus operam, ut in eorum numero reperiamur, quos Deus occulto suo iudicio, quod ipsi soli notum est, ad vocandum inuitatos miserit. obsecro, & obtestor, ne obliuiscamur, neue iussa, mandataque eius, qui misit, abiiciamus, ac negligamus, sicuti ii, qui corda habent crapula, & sollicitudinibus mundi grauata, & depressa. qui quidem vigilare, & orare iussi sumus, tanquam non aliter futura tormenta vitare possimus, neque aliter coram Deo sisti innocentes, ostensuri vtrum minis datis ad mensam negotiati fuerimus, an

potius in fundo, atque sudario occultauerimus. vt quidam præ nequitia, & ignauia fecisse accusati sunt. horribiles profecto sunt minæ nobis pastoribus propositæ, nisi vigilauerimus, quibus mandatum, commissumque est, tradere conseruis tum verbo, tum factis vera dogmata, & vitæ perfectæ normam, tum reposcere rationem progressus spiritualis, vigilanter tuba canere, ne romphea animam alicuius corripiat alio qui ex manibus nostris repetendam, denique incessanter explanare, quæ sit Dei voluntas. & cum olim ad hoc opus multi missi fuerint, nostrum est timere, ne in labores eorum ingressi, pœnas demus, si minus laboremus. quod vtinam ne nobis eueniat, quibus donata sunt, non solum, quæ typis, & symbolis designata sunt, quæque prophetæ atque iusti expetierunt, sed etiam gratiæ dispensatores facti sumus. quare nisi aperto capite munera Dei, quæ neque oratione consequi, neque mente comprehendere licet, perpetuo prædicauerimus, quicumque huiusmodi dignitate pastoralis præditi sumus, haud dubie in manus Dei incidemus, nisi inquam prædicauerimus, quemadmodum ex nihilo cuncta Deus effecerit, quam admirabilia existant ex omni parte vniuersitatis rerum in hominem beneficia, quæ nobis promissa, si mandata dei perfecimus, quæ rursus minæ suppliciorum propositæ, si non perfecimus. & nisi prædicauerimus, quod qui male vixerunt, irato Deo, ab hac vita recedent, debemus pœnas daturi sempiternas. præterea repetere voces prophetarum, quas illi ad reuocandum a vitiis hominum genus adhibuerunt, item commemorare aduentum Domini, & bona inde profecta, tum mortem probrosam, sepulturam, & reditum ad vitam, ascensum ad cœlos, missionem Spiritus sancti, tributumque hominibus Spiritum sanctum, Apostolos missos in vniuersum mundum, vt ba-

ptizarent, ac docerent, quæcunque ipse seruare præceperat, quibus se Christus promisit semper adfuturum. Ad hæc, instare diem illius magnæ iræ & calamitatis propter multitudinem scelerum, quando draco ille ex improviso ad corrumpendos omnes aderit. Item Eliæ & Enoch reditum ad incumbendum saluti hominum aduersus diabolum, quem Dominus præsentia aduentus sui destruet. Præterea dicemus de rapiendis obuiam Christo, quâdo cœli magno impetu transibunt, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur. quæ quidem cum expectentur, quales quæso, ac quam sanctos nos esse oportet? debemus etiam commemorare iudicium extremum, subsellia apposita, præsidem iudicio antiquum dierum, libros apertos, fluuium ignis. deinde eos, qui ad dexteram erunt, commendatos bonis operibus processuros in resurrectionem vitæ, eos vero, qui ad sinistram, processuros in resurrectionem iudicii. hæc sunt, quæ a nobis sunt semper populis inculcanda, & honestæ vitæ exemplo commendanda, atque consulenda, quæ quidem cum Deo, nos copulant. Hoc est illud euangelii, bonos, fidelesque dispensatores dare conseruis suis in tempore mensuram tritici, confirmare inquam fratres, vt contemptis bonis terrenis, soli virtuti, & Deo adhæreant. in his vigilare, & hæc meditari debemus fratres, si magno ministerio, cui præsidemus, satisfacere velimus, ac non potius illos imitari proscriptos, profligatosque dispensatores, qui dum, vt illis videtur, moram Dominus facit, edunt, & potant, quos, cum venerit, idem, vt minatus est, diuidet. quæ omnia non solum nos inclamare debemus, sed etiam fidelibus hominibus commendare, qui possint & alios docere. ita vt nihil sit faciendum, quod a sancta scriptura alienum sit. debemus præterea eos, qui peccauerint, pœnis, & locis ad eas soluendas descriptis secun-

dum canones patrum afficere, distinguentes sanctum a profano. impie enim agunt quidam, qui multos eorum violant, neque meminerunt quod scriptum est, impii transferunt fines, & illud, maledictus, qui terminos a patribus positos transgreditur, & quod est in euangelio, qui soluerit vnum ex mandatis, minimus vocabitur in regno cœlorum, qui autem fecerit, & docuerit, magnus. omni itaque studio laborandum est, vt concupiscentias carnis, quæ militant aduersus animam, superent omnes fideles. admonendique subinde, quemadmodum clamat Paulus vas electionis, neminem eorum, qui peccatis operam dant, possessurum regnum cœlorum. qui cum nos hortetur, vt eum imitemur, sicuti ipse Christum, beatos pastores, qui eum secuti, imitatieque fuerint. tametsi enim non sint imitabiles illius excellentissimæ virtutes, qua sumus ignauia, & inertia, illud inquam, viuere ex manibus, & euangelium sine sumptu ponere, nobis tamen fatis est, si præbeamus nos operarios cibo dignos, ac non potius bona pauperum hianti ore deuoremus. hortandi præterea, vt arrectis quod aiunt auribus, & vigilantes clamorem illum mediæ noctis improuisum, & subitum expectent, ne nihil cogitantes, & in scelere occupati, aut voluptati, vel somno indulgentes, aduentum illum illustrissimum pulcherrimum sponsi non sentiant, vt enim admoneremur, vigilandum esse, horam noctis appellat Dominus illuminatissimum illud tempus. vtinam nunquam nati essent, quibus claudendum est, & frustra standum, atque pulсандum, quibus tolerabilius, leuiusque fuisset, igne cōsumptos esse, quam audire illud, non noui vos. quamobrem Paulus, ne erretis, inquit, enumerans scilicet, quæ a regno Christi arcent, & excludunt, quæ omnia nisi vobis discipulis eius nos commemorauerimus, atque denunciauerimus, Vt nobis. caueamus ergo,

ne

ne debito, quod commune est omnium pastorum, populos fraudemus, debito inquam fungendi pro Christo legatione, Deo per nos hortante, ne quis semel baptizatus committat, vt ad nuptias intrare prohibeatur. eos vero, qui alios decipiunt, tanquam falsos apostolos, & impostores adhibitis sanctis scripturis redarguamus, ac prodamus, commemorato exemplo decem virginum, sagenæ missæ in mare, illius induti sordide, aliisque huiusmodi, hæc nocte dieque debent singuli pastores gregibus suis inculcare, quæ tam necessaria sunt, quam est respirare animanti. necessarium inquã, omnia iudicia, & testimonia Dei denunciare, ita vt ab hoc officio neque eos superbia, & elatio retrahat, neque altitudo diei, idest prosperitas, & opulentia, quin potius si tempus postulet pro legibus, & statutis diuinis sanguinem fundere, quoniam non possit aliter pastor Christum amare, qui magistrum finibus charitatis circumscripsit, cum dixit Apostolus, quis nos separabit a charitate Christi? Deinde cauendum nobis est, ne vlli cito manus imponamus, non ante iustam ætatē, non sine titulo, non extra fines dioceseos. testimoniū dicant non quiuis, sed graues homines, qui educationem eius, & mores norint, an sit iracundus, an superbus, an ebrius, an auarus, an pugnax, an dicax, an percussor, an petulans, an illiteratus. post ordinationē vero curandum est, vt sacra reuerenter ac religiose tractare, & administrare discat, mysteria præsertim eucharistiæ ac baptismi, ne quæ sanctissima sunt ab aliquo deliro, indecore, & temere administrare doceatur. Ad hæc, prouidendum, ne cuiuis pateat ascensus in fuggestum, neque docere liceat in ecclesia nisi ei, qui castitate etiam, & temperantia atque pietate præditus sit. Item vt nihil eorum, quæ ad edendum idonea sunt, offerantur in ecclesia præter oleum, ceram, & thus. ne mini sine probatione, aut pro munere eucharistia de-

tur, nisi permisso, & concessu patris spiritualis. ne liceat impune non vacare in festo resurrectionis, neque ingredi in fines alterius. in cōiugiis caueatur pueritia, propinquitas sanguinis, adoptio, & susceptio in baptifmate. videndum est etiam, vt coniugium non solum licitum sit, & concessum, sed decorum quoque, ne inquam puella feni nubat. neue ante benedictionem vna cubent. ieiunia quatuor temporum ne soluantur, neque ieiunia quartæ & sextæ ferix. eleemosyna, temperantia, iustitia, & veritas ab omnibus fidelibus colantur. Soluere ecclesiis decimas, & primitias, celebrare memorias sanctorum, meminisse propinquorum in precibus, abstinere a fornicatione, sanguine, & suffocato, a præstigiis, incantationibus, obseruationibus superstitiosis, ab omni specie diuinationum, non comprehendere cum hæretico, nisi sit sponsor. qui canones seruare non didicit, eum neque baptizari, neque monachum fieri liceat. Monachum, qui a monasterio aufugerit, qui receperit, aut ordinarit, puniatur. denique repetenda sunt, & commemoranda frequenter a magistris ecclesiæ, quæ fideles facere debent, & quæ tanquam pestes abominari. commemorandus etiam ignis ille in consumatione sæculi expectandus, Tum execrabilis illa mundi lues, nefarii inquam Antichristi aduentus, ne si ex improviso nihil præmeditatis adfuerit iniquus ille atque superbus, qui extollitur supra omne, quod dicitur Deus, multi in errorem inducantur cum eodem in flammam ignis coniciendi. Hoc precor, pastorum opus sit, hæc cura, & studium, vt quæ patribus visa sunt, quæque illi accurate tenuerunt, illa ad temperandos, regendosque fideles adhibeamus, & qui ea non seruarint, quæ seruare, non soluere iussi sumus, hos maledictis grauissimis anathematum afficiamus. ante omnia vero baptizatos omnes hortari debemus, vt vsque ad sanguinem

integerrime seruent, quecunque Christus præcepit, affirmantes absque operibus mortuam esse fidem, & quod non omnis, qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum Cœlorum. & illud, qui non amat me, sermones meos non seruat. Hæc, & alia huiusmodi ex sanctis scripturis nisi iis, qui ea ignorant, exposuerimus, quemadmodum erimus fideles dispensatores? ne quæso, oscitanter, atque negligenter, sed cum timore potius, atque tremore, sine vlla cunctatione euangelia sancta edisseramus, docentes cœlum, & terram transitura, verba autem eius nequaquam. Dicamus frustra fortasse dictum esse in scriptura, nemo erret, nemo inquam, neque eorum, qui antea fuerunt, neque eorum, qui postea erunt. est autem nobis primum, qui pastores sumus, nauandum virtuti, docendumque omnino, quod est in sanctis scripturis, eos, qui Christum, eiusque sermones reuerenter obseruaerint, eos inquam ab eodem Christo confitendos, declarandos, & coronandos, ac gloria sempiterna esse honorandos, qui eum corpore, & spiritu honorarunt, tunc inquam iam fideles, atque prudentes declaratos, ad nuptias, & immortales illas delicias admittendos, vt cum pulcherrimo illo sponso ecclesiæ Domino nostro Iesu Christo semper sint, cui honor, & imperium in sæcula amen.

EIVSDEM ATHANASII CONSTANTINOPOLITANI Patriarchæ ad Imperatorem, vt iubeat Episcopis ire ad suas dioceses.

SI vrbes in oriente vastari, & funditus interire scis, quod malum Deus auertat, cur non iubes, qui curam omnium a Deo suscepisti, vrbes deserere, & ad nos

venire, & habitatores earum? imo potius in gratiam episcoporum hoc prohibes? Sin autem per gratiam dei hoc tua prudentia, & iudicio assequeris, puniri nos a Deo, non ut pereamus, sed ut conuertamur, cur non iubes pastoribus illarum ciuitatum, ut quisque eorum cum grege suo sit, ut tum precibus Deo adhibendis, tum admonitionibus, & obiurgationibus suos a peccatis seruent, atque ita Deum placent, ut minas aliquando remittat, an si tu oves pastori committeres, deinde illas quidem derelictas cerneres, illum vero quieti suæ, suisque cupiditatibus indulgere, & seruire, dic, obsecro, relinqueres ne pastorem impunitum? non patimur oves pecudes impune negligi, & patiamur pastores animarum impune seipfos pascere, non oves? quid quæso apud Deum excusabimus? utinam ne illud nobis exprobetur, omnes quærunt, quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi. Quod enim preces, & vigiliis præ ignauia non curant, & nos quia his vacamus, rident, plane ostendit, nihil eos malle, neque aliud esse eis propositum, quam Patriarchas mouere, & munera accipere in iudicio, & cætera alia committere, quæ ipse status temporum docuit. aut igitur iube singulis quibusque ad diœceses proficisci suas, aut sinant me ad vnum e suis gregibus ire, & me iureiurando obstringam, nunquam ab eo discessurum, ipsi vero urbem Constantinopolim sibi inter se diuidant. Quid enim infelicius esse potest, quam in cæteris ciuitatibus licere cuique pastori suos, quantum potest, & ius est, regere atque gubernare, in sola vero hac vrbe iudicem esse, quicumque velit? verum si mihi credis religiosissime Imperator, fac ut hos potius tristitia afficias, quam Deum. etenim si quando alias, nunc maxime episcopos cum gregibus suis mori oporteret. quod si nolueris propter tuam erga eos reuerentiam, cogere, ut faciant, quod facere debent, ego suscepta

causa,

causa, velint, nolint, ex vrbe pellam. reddamque audaciæ huius rationem Deo.

EIVSDEM ATHANASII AD
eundem Imperatorem
de eadem re.

SI verum est, quod dici solet, qui gregem pastore spriuat, vtrique periculum creare, profecto graue supplicium manet eum, qui pastorem arcet ab ouili. debetque qui pastor est, vsque ad sanguinem pro grege Christi non relinquendo labores perferre, nisi cum opus fuerit in Synodo singulis annis ad agendum de rebus necessariis paulisper abesse, quibus conclusis celeriter redeundum illi sit, si credit se redditurum rationem summo pastori Christo, et si dignus est nomine pastoris, nisi forte etiã propter necessitatem ad vtilitatẽ animarum pertinentẽ ab Imperatore, aut a Patriarcha statim rediturus voce tur. quod si aliter Episcopis, aut Imperatori videatur, siue quid secus fiat, minime ipse sequar, neque assentiar vlllo modo, neque enim rationem habebit Deus causationum nostrarum & cupiditatum, sed rationes reposcet de veritate, iustitia, diuinisque legibus, & statutis, &c.

EIVSDEM AD EVNDEM
de eadem.

MEMENTO scripturæ, quæ iubet contristare potius homines quam Deum, tibi vero Imperator, cur graue videatur iustitiam, temperantiam, misericordiam populis tuis sancire? & inde non modo nullum incommodum reportare, sed potius operibus bonis conciliare Dei misericordiam? quid iustius,

quam si Episcopus quisque iubeatur, velit, nolit, ad
diocesem suam redire? an non hoc debitum solvere
tenentur? idque canone sancitum est? nonne pasto-
rum praesentia potest hoc praesertim tempore popu-
lum ad preces excitare? Quae enim alia spes
Christianis relicta est, nisi quae in pre-
cibus posita est? quod si
cupiunt in hac
vrbe habitare, diuidant illam
inter se, &c.